art. unico ad. 3. quod *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt; ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ* (ſtante judicio indifferente) *indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas. Sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur: & tamen a cauſis contingentibus proveniunt effectus contingentes; in quantum Deus omnia movet proportionabiliter, unumquodque ſecundum ſuum modum,*

XXX. Quod vero dicitur, Deum ſua potentia abſoluta poſſe neceſſitare voluntatem, fateor; ſed tollendo indifferentiam a judicio, quomodo neceſſitat beatos ad amandum ſe. At quod ſtante in judicio, indifferentia eam neceſſitare poſſit, quomodo probant? Voluntas enim, ut docet Div. Thomas ibi, ex neceſſitate moveri poteſt, vel ex parte objecti, vel ex parte ſubjecti: ex parte objecti, ſtante indifferentia judicii, ex neceſſitate moveri non poteſt; quia, ut ex terminis patet; objectum movens cum indifferentia, non movet determinate ad ſui amorem ſic, ut ipſum voluntas non poſſit non amare. Ex parte vero ſubjecti voluntas moveri poteſt, vel a ſeipſa, vel a Deo; non enim ab ullo exteriori principio intrinſece moveri poteſt. Si ergo moveatur a ſeipſa; cum moveatur ex conſilio, ſeu judicio indifferente, & ad oppoſita ſe habente, ex neceſſitate moveri non poteſt; ſic enim ſe habet voluntas ad bonum, qualiter ei ab intellectu proponitur. Si vero moveatur a Deo, non aliter movebitur, niſi prout exigit ipſa moveri: Nam Deus (inquit Sanctus Thomas) *cum omnia moveat ſecundum rationem mobilium, ut levia ſurſum, & gravia deorſum; etiam voluntatem movet ſecundum ejus conditionem, non ut ex neceſſitate, ſed ut indeterminate ſe habentem ad multa.*

XXXI. Urgeo magis. Poſito judicio determinate proponente objectum, non poteſt ſtare indifferentia in appetitu: ſi enim proponatur ut determinate amandum in exercitio, qualiter Beatis proponitur Deus clare viſus, non ſtabit indifferentia ad exercitium, ita ut illud ſuſpendere poſſit: ut enim vidimus, Beati ab amore Dei ceſſare non poſſunt. Si vero proponatur ut determinate amandum in ſpecie, quomodo proponitur felicitas, ſeu beatitudo in communi: quamvis voluntas non contrahat neceſſitatem exercitii, cum poſſit de beatitudine non cogitare, & ſic nec eam actu amare; contrahit tamen neceſſitatem quoad ſpeciem: quia ſi de beatitudine cogitet, ſic tenetur eam velle, ut non poſſit velle oppoſitum, ſeu non eſſe beatum. Et quia bruta incapacia ſunt judicii indifferentis, incapacia quoque ſunt indifferentiæ in appetendo; ſed omnia vel appetunt, vel fugiunt naturali impulſu, ac inſtinctu, ut ſupra dictum eſt; ergo ab oppoſito ſtante indifferentia in judicio non poteſt eſſe in voluntate neceſſitas eadem ratione: quia ſcilicet, taliter voluntas ſe habet ad bonum: qualiter ei proponitur per rationem, ſeu apprehenſionem.

XXXII. Hinc ruit alia reſponſio, nimirum, ex dictis convinci quidem, quod ſervato præſente rerum ordine voluntas ſequatur rationis ductum, ſuavi Dei providentia non denegante concurſum, ut illum ſequatur; non probari tamen, quin ex ſupremo Dei dominio poſſit inverti ille ordo, & illa veluti connexio; & fieri, ut voluntas nulla habita ratione judicii intellectus, unum amplectatur, & ita ad illud conſtringatur, ut deſerere numquam poſſit, aut aliud velle: ut ſi perpetuo poteſtatem ad agendum applicaret, denegato ſemper concurſu ad non agendum; tunc enim ſemper ageret: & quidem neceſſario, quia non poſſet non agere.

XXXIII. Ruit, inquam, primo. Si enim invertatur ordo rerum: ſi voluntas non regatur ductu rationis, nec agat humano more, & tunc libertate ſpolietur; quid inde? Jam erimus extra caſum controverſiæ, cui explicandæ intenti ſumus; nimirum, fieri non poſſe, ut ſtante indifferentia judicii, ideſt dum ratio objectum aliquod, puta Matrimonium, ſeu ſtatum conjugalem, ſive cum ſuis deliciis, ſive cum ſuis oneribus, vel moleſtiis indifferenter amandum proponit, voluntas adigi poſſit, ut illud neceſſario amet, quocumque genere motionis moveatur. Quia etſi voluntas illum averſetur ob unum motivum, puta, incommodum; quamdiu tamen intellectus aliud motivum, nempe, voluptatem, ei repræſentabit, adjunctam ſemper habebit potentiam illud amplectendi: & ideo non amplectetur, non quia non poteſt, ſed quia non vult.

Sed quid, ſi ſtante indifferentia judicii, Deus ſic potentiam ad agendum ſuo concurſu continuo applicaret; ut potentiæ ad non agendum concurſum denegaret? Nonne in tali caſu voluntas eſſet neceſſitata ad non agendum?

XXXIV. Dico. Quod ſi Deus perpetuo denegaret concurſum voluntati, ſive ad agendum, ſive ad non agendum, eſſet voluntas impedita, nec in actu ſecundo libera; cum de ratione liberi ſit, aliquando agere, aliquando non agere. Sed quid prodeſt recurrere ad miracula? Quodnam ex his, præjudicium ſententiæ D. Th. infertur: qui ſupponit quidem, Deum operari *in voluntate, & libero arbitrio, ſed ſecundum ejus exigentiam*: unde addit in 2. Sent. diſt. 25. q. 1. art. 2. ad 1. *Etiamſi voluntatem hominis in aliud mutet: nihilominus tamen hac ſua omnipotentia facit, ut illud, in quod mutatur, voluntarie velit.*

XXXV. Quare, dato etiam, quod Deus perpetua motione applicaret voluntatem ad aliquem actum; eam moveret, (ut ſupra dixi ex q. 7. de Malo art. unico ad 3.) *immutabiliter* quidem *propter efficaciam virtutis moventis. Sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas.* Et voluntas quamvis ſemper applicata per illum, dummodo non eſſet circa ſummum bonum, ſemper maneret libera, & potens illum non ponere: quæ poteſtas, perſeverante in ea judicio indifferente de bonitate illius objecti, ſemper in ea perſeveraret. Unde caſus iſte miraculoſus nihil faceret adverſæ ſententiæ.

XXXVI. Sed inquies cum Suarez. Poteſt Deus, ſtante integro judicio rationis de objecto ex ſe indifferenter bono, ita movere voluntatem, ut motu non libero, ſed neceſſario in illud feratur, Hoc enim docuit S. Thom. *q. 22. de Verit. art.* 8. ubi docet: *Deus poteſt immutare voluntatem de neceſſitate, non tamen poteſt eam cogere.*

XXXVII. Reſpondeo. Quis hunc arguendi modum docuit ſic arguentem? D. Th. docet, Deum poſſe immutare voluntatem de neceſſitate; ergo eam poteſt ſic immutare ſtante judicio indifferente? Nonne videt, hoc eſſe arguere affirmative a ſuperiori ad inferius; quod in regulis bonæ conſequentiæ Dialecticus reprobat? Docuit ergo D. Thomas, Deum poſſe immutare voluntatem de neceſſitate: ſed auferendo ab illa judicium indifferens. Sic de neceſſitate eam movet ad appetendam felicitatem, ſeu beatitudinem: ſic movet voluntatem Beati ad amandum Deum clare viſum, quia circa beatitudinem non poteſt formari judicium indifferens quoad ſpeciem; nec circa Deum clare viſum judicium indifferens etiam quoad exercitium. Quod autem ita ſit, oſtendit idem S. Th. in eodem articulo: ubi docens, Deum inclinare voluntatem, imprimendo voluntati inclinationem aliquando perfectam, aliquando imperfectam, & rurſus inclinationem perfectam includere neceſſitatem, ait: *Quando quidem eſt perfecta, facit neceſſariam inclinationem in id, ad quod determinat: ſicut per naturam de neceſſitate inclinatur voluntas in appetendum finem, ſicut contingit in Beatis.* Explicans vero inclinationem imperfectam non inducere neceſſitatem: *Aliquando vero* (inquit) *forma ſuperaddita non eſt uſquequaque perfecta; ſicut eſt in viatoribus: & tunc ex forma ſuperaddita voluntas inclinatur quidem, ſed non ex neceſſitate.* Vult ergo D. Thomas, tunc ſolum ex neceſſitate a Deo moveri, quando regulatur judicio non indifferente, ſed determinato; ut in amore, quo Beati feruntur in Deum: non tamen ex neceſſitate moveri, quando judicio indifferente reguletur; ut in amore, quo viatores diligunt Deum. Hoc idem docet citata *q. 22. de Verit. art. 5.* ubi quærit: *Num voluntas quippiam de neceſſitate velit.* Et *art. 6.* ubi quærit: *Num voluntas de neceſſitate velit quidquid vult.* Utrobique enim docet, voluntatem eſſe determinatam, & ex neceſſitate ſolum moveri erga finem, ſeu beatitudinem. Et clarius *q. 6. de Malo art. unico* ſupra laudato. Unde conſtat, D. Th. velle, voluntatem ſolum ad eos actus, & objecta neceſſitari, quæ ſine indifferentia ei proponuntur.

XXXVIII. Dices ulterius. Si verum eſt, quod ſtante indifferentia judicii ſtat libertas in voluntate, & ex ablata aufertur libertas; mirum ſane eſt, quod Philoſophi, Manichæi, Calvinus, Lutherus, aliique negantes liberum arbitrium, ad hoc non attenderint; & numquam in mentem venerit, vel negandi etiam indifferentiam judicii, ut tolleret libertatem, vel aſſerendi libertatem, adhuc poſita motione efficaci voluntatis, ratione indifferentiæ judicii. Immo magis mirum eſt, quod Patres ac Theologi eos impugnantes, hac ratione contra eos uſi unquam fuerint; nempe, repugnare, ut ſtante pleno ac indifferente rationis judicio, voluntati neceſſitas imponatur.

XXXIX. Reſpondeo, me exiſtimare, Philoſophos (maxime Stoicos) omnia Fato ſubjicientes; & Manichæos, voluntatem adigi ad bonum, vel malum ex natura ſive bona, ſive mala aſſerentes, abſtuliſſe indifferentiam non ſolum a voluntate, ſed etiam a ratione: ita ut nec eſſet in poteſtate voluntatis aliter agere, nec in poteſtate intellectus aliter judicare. Quod de Calvino quoque, & Luthero aſſerere non dubitavero; Calvinus enim *l. 2. Inſtit. toto c. 9.* æque dicit, homini lapſo ademptam eſſe per peccatum cognitionem boni, & mali ad bene recteque voluntatem regendam, ac voluntarii libertatem ad bene agendum; & ſolum in civilibus & politicis utrumque remanſiſſe. Lutherus quoque referente Bellarmino *l. 4. de Gratia, & Lib. arb. cap. 5.* docuit: *Liberum arbitrium eſſe figmentum in rebus, & titulus ſine re; quia nulli eſt in manu quidpiam cogitare boni, vel mali.* Quemadmodum ergo ponebant, voluntatem peccato neceſſitari ad malum, ita a judicio indifferentiam auferebant.

XL. Cæterum etſi dederim, Philoſophos, ac hæreticos admiſſa judicii indifferentia libertatem negaſſe; quid inde? Numquid novum eſt, eos in multis ſecum pugnaſſe, ac ſibi contradixiſſe; & nedum a fide, ſed & a vera ratione aberraſſe? S. Auguſtinus arguens Manichæos, & Pelagianos, immo & Atheos, in multis ſecum pugnaſſe oſtendit. Et, referente Scoto, Philoſophi duo contradictoria ſaltem aliqui admiſerunt; nempe, Deum neceſſario moveri, ſed ſervari in rebus contingentiam.

XLI. Quod vero additur, nullum Theologorum contra Lutherum, & Calvinum hac ratione uſum fuiſſe; ſtare nempe libertatem, quia ſtat indifferentia judicii. In primis dici poteſt, ea uſos non fuiſſe; quia, ut nuper advertimus præfati hæretici negantes libertatem, negabant etiam indifferentiam judicii. Deinde falſum eſt, eam omiſiſſe. Nam dum libertatem in eligendo contra eos probant, implicite probabant etiam indifferentiam judicii. Ut enim docet Div. Thom. 1. part quæſt. 83. art. 3. ad 2. *Ipſa electio dicitur quoddam judicium*, quia ſequitur ſententiam rationis. Tertio. Falſum etiam eſt, ea ratione neminem Theologorum expreſſe uſum fuiſſe. Ea enim utitur Bellarminus *lib. 4. de Grat. & Liber. arbitr. c. 10.* Si nemo alius uſus fuiſſet, ſatis eſſe exiſtimarem, ea plerumque, & immo ſemper uſum fuiſſe Sanct. Thomam.

De-

DUBIUM III.

An ſit contra naturam Voluntarii Liberi, quod moveatur a Deo?

§. I.

Status quæſtionis.

I. Controverſia hæc, ex dictis §. 3. præcedentis Dubii, cæpit apparere, magna quidem contentione ex utraque parte propugnata; ideoque celeberrima inter Scholam S. Thomæ, & Patrum Societatis. Multi eam fuſe tractant ex utraque Schola, tum in Theologicis, tum in Philoſophicis. Nos ſtrictam eam exponemus. Tum quia, ex dictis in Tractatu de Scientia conditionatorum *Quæſt. 6.* & Tract. de Voluntate Dei *q. 4.* de efficacia divinorum decret. *Dub. 2.* non modica lux affulgere poterit. Tum quia mihi ſatis eſt, tantam de controverſiis operam adhibere, quanta ad Tyronis inſtructionem neceſſaria eſt.

II. Moveri ergo dupliciter contingit: vel moraliter; puta, ſuaſione, conſilio, præcepto: vel phyſice per aliquid intrinſecum, quo mobile prius indifferens exit in motum, ſeu actionem. Et quidem moraliter moveri non eſſe contra naturam voluntarii liberi, omnibus perſuaſum eſt. Hoc enim modo agens liberum moveri poteſt, non ſolum a Deo, ſed ab homine conſulente, ſuadente, præcipiente: immo motionem hanc moralem neceſſariam eſſe ad libere agendum, neque a D. Th. fuiſſe unquam negatam, conſtat ex dictis ſupra: ubi ex doctrina ejuſdem ſtatuimus radicem libertatis in indifferentia judicii repræſentantis bonum ut conveniens, & conſentaneum, quo allecta voluntas ipſum amplectatur. Et ulterius id docet S. Th. *q. 3. de Malo art. 3.* ubi quærens: *Utrum Diabolus ſit cauſa peccati*, ait: *Quod cauſa aliquid movens multipliciter dicitur. Quandoque enim dicitur cauſa id, quod eſt diſponens, vel quod eſt conſilians, vel quod eſt præcipiens. Quandoque vero dicitur cauſa id, quod eſt perficiens. Et hæc proprie, & vere cauſa dicitur, quia cauſa eſt, ad quam ſequitur effectus.* Et concludit: *Quod Diabolus humani peccati cauſa eſſe poteſt per modum diſponentis, vel perſuadentis interius, aut exterius, aut etiam per modum præcipientis, ut apparet in his, qui ſe manifeſte Diabolo ſubdiderunt: ſed per modum perficientis cauſa peccati eſſe non poteſt.* Loquimur ergo de motione per modum perficientis; an Deus hoc modo voluntarium liberum movens deſtruat rationem liberi.

III. Obſervandum eſt etiam, motionem hanc, quam D. Th. vocat *perficientem*, a Diſcipulis Div. Th. vocari *phyſicam*, non quidem *philoſophice*; itaut per modum naturæ, ſeu naturaliter moveat etiam cauſas liberas: ſed vocatur *phyſica* Theologice, ideſt intrinſece perficiens mobile, & ut contra diſtinguatur a motione pure morali.

IV. Quia vero movere idem eſt, ac determinare; ideo iſta motio intrinſece movens dicitur etiam *determinatio*. Et quia ſecundum doctrinam D. Thomæ 3. Contra Gentes capite 149. *motio moventis præcedit motum mobilis ratione, & cauſa*; unde infertur, quod *ideo per bona opera proficimus, quia divino auxilio prævenimur*: Propterea divina motio vocatur *motio prævia*, ſeu *præmotio*, vel *prædeterminatio*.

V. Tandem cum iſta præmotio ſit talis, ut ad eam infallibiliter ſequatur effectus, vocatur *præmotio efficax*. Porro quid ſit iſta motio, ſeu in quo conſiſtat, ex D. Thoma petendum eſt. Docet ergo S. Doct. motionem hanc, qua Deus cauſas creatas movet ad actu agendum, non eſſe qualitatem, aut formam aliquam habentem eſſe permanens, & ratum; ſed eſſe entitatem quamdam vialem per modum motus, habentem eſſe incompletum, & fluens, ad modum, quo ſpecies intentionales colorum ſunt in aere, vel virtus artis in inſtrumento artificis. Ita *q. 3. de Potentia art. 7. ad 7.* his verbis a meo Candidato bene obſervandis: *Ad ſeptimum dicendum, quod virtus naturalis, quæ eſt rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata, ineſt eis ut quædam forma habens eſſe ratum, & firmum in natura. Sed id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola habens eſſe quoddam incompletum, per modum, quo colores ſunt in aere, & virtus artis in inſtrumento artificis. Sicut ergo ſecuri per artem dari potuit acumen, ut eſſet forma in ea permanens; non autem dari ei potuit, quod vis artis eſſet in ea, quaſi quædam forma permanens, niſi haberet intellectum: ita rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipſa permanens; non autem vis, qua agit ad eſſe, ut inſtrumentum primæ cauſæ, niſi daretur ei, quod eſſet univerſale eſſendi principium. Nec iterum virtuti naturali conferri potuit, ut moveret ſeipſam, nec ut conſervaret in ſe eſſe. Unde ſicut patet, quod inſtrumento artificis conferri non potuit, quod operaretur abſque motu artis: ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur abſque operatione divina.* Idem docet S. D. *quæſt. 28. de Verit. art. 4. ad. 4.* ubi explicans, quid ſit virtus a Deo Sacramentis impreſſa, poſtquam dixit, non eſſe virtutem habentem eſſe completum in natura, ſed quid incompletum in genere entis, & per modum motus, non ut termino, ſeu ut in ipſo moveri; addit: *Quæ movent prout ſunt in ipſo moveri, movent per virtutem incompletam: & hujuſmodi virtus eſt in aere ad movendum viſum, ſecundum quod immutatur a colore parietis, ut in fieri, non ut in facto eſſe. Unde ſpecies coloris eſt in aere per modum intentionis, non per modum entis completi, ſicut eſt in pariete.*

VI. Ex his ibi *ad 5.* infert, quod illa virtus, ſeu motio, neque poteſt dici corporea, neque incorporea proprie loquendo; corporeum enim, & incorporeum ſunt differentiæ entis completi: ſed proprie dicitur virtus ad corporeum, vel incorporeum, *ſicut motus dicitur magis ad ens, quam ens.* Reduci tamen poteſt ad genus qualitatis; corporeæ quidem, ſi ad effectus corporeos detur, ut in cauſis phyſicis, & corporalibus, incorporeæ vero, ſi ad effectus incorporeos, ut in cauſis ſpiritualibus. His igitur explicata natura divinæ præmotionis phyſicæ, & efficacis, quærimus: an ſit contra naturam voluntarii liberi, quod hoc genere motionis moveatur a Deo.

VII. S. Thom. 3. *Contra Gent.* cum in fine *cap.* 88. hos Scripturæ textus protuliſſet: unum Proverb. 21. *Cor regis in manu Domini, & quocumque voluerit inclinabit illud.* Alterum Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate*; inchoat *caput* 89. his verbis: *Quidam vero non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis cauſare poſſit abſque præjudicio libertatis voluntatis, conati ſunt has auctoritates male exponere: ut ſcilicet dicerent, quod Deus cauſat in nobis velle, & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem ſic, quod faciat nos velle hoc, vel illud: ſicut Origenes exponit in 3. Periarchon liberum arbitrium defendens contra auctoritates prædictas. Et ex hoc proceſſiſſe videtur opinio quorumdam, qui dicebant, quod providentia non eſt de his, quæ ſubſunt libero arbitrio, ſcilicet de electionibus; ſed providentia refertur ad exteriores eventus. Non enim qui elegit aliquod conſequi, vel perficere, puta ædificare, vel ditari, ſemper poterit ad hoc pervenire: & ſic eventus actionum noſtrarum non ſubjacent libero arbitrio, ſed providentia diſponuntur.*

VIII. Omiſſo igitur errore Calvini, qui divinam motionem ita dominari aſſerit voluntati noſtræ, ut ab ea omnem eligendi oppoſitum auferat libertatem: & quod magis horrendum eſt, eodem hoc modo Diabolum voluntati dominari aſſerat, nimirum, ſicut ſeſſor dominatur equo. Et, quod audacius eſt, hoc idem ex Auguſt. comprobare conatur *lib. 2. Inſtit. cap. 4. §. 1.* dicens: *Alicubi Auguſtinus humanam voluntatem equo comparat ſeſſoris nutum expectanti; Deum, ac Diabolum, ſeſſoribus. Si Deus illi inſidet, inquit, perinde ac moderatus & peritus ſeſſor, compoſite illam regit.... Quod ſi eam Diabolus occupavit, inſtar ſtolidi ac petulantis ſeſſoris per invia rapit, impellit in foveas, per præcipitia devolvit, ad contumaciam, ferociamque inſtigat.* Ex quibus infertur, quod ſicut equus neceſſario obſequitur ſeſſori; ita voluntas neceſſario obſequatur Deo moventi, & inſidenti, ſicut & Diabolo: ſubdit enim: *voluntatem, Satanæ præſtigiis faſcinatam, illi ſe ad omnem ductum obſequentem neceſſario præbere.* Quid horribilius? hoc inquam omiſſo.

IX. Inter Catholicos Doctores duplex eſt opinandi modus. Quidam timore perciti, ne ſi admittant, Deum movere intrinſece, & efficaciter voluntaria libera ad agendum, præjudicent libertati humanæ, immo eam cum Calvino extinguant, Deum negant efficaci motione voluntaria libera ad agendum applicare: ſed cum iis concurrere ad actus ſuos concurſu concomitanti ex ſe indifferenti, efficaci autem ſolum ab extrinſeco, nempe a conſenſu in talibus circumſtantiis præviſo. Ita Schola univerſa Societatis, & eorum, qui ſcientiam mediam in Deo admittunt. Univerſi autem veri D. Thomæ Diſcipuli aſſerunt conſtanter, voluntaria libera a Deo efficaciter moveri; quin illud libertati præjudicium timeri poſſit: immo hoc potius exigente creatæ libertatis natura; & hanc eſſe mentem Angelici ſui Magiſtri. Cum his ergo

§. II.

Reſolvitur Dubium.

X. Dico. Non eſt contra naturam, immo conforme, & conſentaneum naturæ voluntarii liberi creati, quod ut agat, phyſice præmoveatur a Deo. In hac aſſertione perpetuus eſt S. Th. Eam enim tradit *1. 2. q. 9. art. 6. q. 10. art. 4. 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. q. 105. art. 4. & 5. q. 111. art. 2.* & *3. Contra Gent. c. 89. 90. 91. 93.* & alibi paſſim. Et probatur primo ſic. Ideo eſſet contra naturam voluntarii liberi, quod intrinſece efficaciter moveretur a Deo, quia tali motione periret, aut ſaltem læderetur voluntarium liberum: ſed tali motione nec perit, nec læditur voluntarium liberum; ergo &c. Maj. eſt certa. Tota enim ratio, quæ deterret Adverſarios ab admittenda in cauſis liberis tali motione, eſt timor, ne libertas earum pereat, aut ſaltem lædatur. Min. vero probatur. Si ſemel illa motio moveat voluntarium liberum ſecundum conditionem, & exigentiam ſuæ naturæ, & cauſet non ſolum ſubſtantiam actus, ſed modum ipſum libertatis, faciendo, ut non ſolum agat; ſed ut libere agat, non deſtruit, nec lædit libertatem; ſed ita ſe gerit in cauſis liberis motio divina, ſeu Deus movendo illas; ergo &c.

XI. Min. probatur ex Div. Thoma. Primo. Quod moveat cauſas liberas ſecundum exigentiam naturæ earum docet *1. part. q. 83. art. 1. ad 3.* ubi quærens: *an homo ſit liberi arbitrii*; cum ſibi tertio loco oppoſuiſſet: *Liberum eſt, quod ſui cauſa eſt, ut dicitur in 1. Metaph. quod ergo movetur ab alio, non eſt liberum: ſed Deus movet voluntatem; dicitur enim Proverb.* 2. Cor Regis in manu Dei, & quocumque voluerit vertit illud: *& Phil.* 2. Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere; *ergo homo non eſt liberi arbitrii.* Cui reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus: quia homo per liberum arbitrium ſeipſum movet ad agendum. Non tamen hoc eſt de neceſſitate libertatis, quod ſit prima cauſa ſui id, quod liberum eſt: ſicut nec ad hoc, quod*

alio

aliquid ſit cauſa alterius, requiritur, quod ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa movens & naturales cauſas, & voluntarias. Et ſicut naturalibus cauſis, movendo eas, non aufert, quin actus earum ſint naturales: ita movendo cauſas voluntarias non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ; ſed potius hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque ſecundum ejus proprietatem. Ex quibus confici poteſt hæc alia ratio. Non eſt contra rationem ſecundi liberi, quod moveatur a primo libero: non enim de ratione liberi eſt, quod ſit prima cauſa ſeipſam movens: ſed liberum creatum eſt ſecundum liberum; ergo &c.

XII. Idem docet 1. 2. *q.* 10. *art.* 4. ubi hanc materiam tractans, in corp. art. *Sicut* (inquit) *Dionyſius dicit 4. cap. de div. nomin. ad Providentiam divinam non pertinet, naturam rerum corrumpere, ſed ſervare. Unde omnia movet ſecundum eorum conditionem; ita quod ex cauſis neceſſariis per motionem divinam ſequuntur effectus ex neceſſitate, ex cauſis autem contingentibus ſequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas eſt activum principium non determinatum ad unum, ſed indifferenter ſe habens ad multa; ſic Deus ipſam movet, quod non ex neceſſitate ad unum determinat: ſed remanet motus ejus contingens, & non neceſſarius, niſi in his, ad quæ naturaliter movetur.* Et *ad* 1. ſic proſequitur: *Voluntas divina non ſolum ſe extendit, ut aliquid fiat per rem, quam movet; ſed ut etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipſius. Et ideo magis repugnaret divinæ motioni, ſi voluntas ex neceſſitate moveretur, quod ſuæ naturæ non competit; quam ſi moveretur libere; prout competit ſuæ naturæ.* Ex quibus patet, mentem S. Thom. contrariam eſſe menti Adverſariorum. Nam ipſi putant, repugnare voluntatem moveri a Deo, & non moveri ex neceſſitate: & S. Th. dicit, repugnare voluntatem moveri a Deo, & moveri ex neceſſitate, & non libere. Unde & ibi *ad* 2. dicit, quod quamvis Deus non velit, *quod quidquid operatur in rebus, ſit eis naturale;* hoc tamen *vult unicuique eſſe naturale, quod poteſtati divinæ ſubdatur;* ergo naturale eſſe voluntati creatæ, quod Deo moventi ſubdatur; ergo contra ejus naturam non eſt, quod a Deo moveatur.

XIII. Quod ſi dicas, D. Thomam loqui de motione moraliter movente, & inclinante; non vero de motione phyſice, & indeclinabiliter movente, quæ in poteſtate voluntatis non ſit, & ea poſita ſequatur infallibiliter actus, ad quem movet: hæc enim voluntatem non relinquit liberam, ſed ad unum neceſſitat ——

XIV. Contra eſt primo. D. Thomas loquitur de tali motione, qua Deus ſolus movere poteſt voluntatem, non autem homo, vel Angelus: ſed motione moraliter ſolum movente movere poteſt alterius voluntatem homo, vel Angelus; ergo &c. Major probatur ex eodem S. D. 1. 2. *q.* 9. *a.* 6. ubi ſe loqui oſtendit de motione non ſolum movente, ſed cauſante actum: & hic dicit voluntatem a ſolo Deo moveri poſſe, qui ſicut ſolus eſt cauſa naturæ voluntatis, ita ſolus poteſt in ea actum cauſare. Min. quoque conſtat ex eodem *q.* 3. *de Malo art.* 3. ubi quærens: an D*iabolus ſit cauſa peccati*: poſtquam cauſam moventem dixit, aliam eſſe per modum diſponentis, conſiliantis, aut præcipientis; aliam per modum perficientis, quæ vere, proprie, & directe cauſa dicitur, quia ad eam ſequitur effectus, dicit, Diabolum humani peccati cauſam eſſe poſſe per modum diſponentis, aut perſuadentis interius, vel exterius, non tamen per modum perficientis, ſeu directe movendo, & cauſando actum peccati. Unde concludit: *Sic ergo motus voluntatis directe procedit a voluntate & a Deo, qui eſt voluntatis cauſa; qui ſolus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare poteſt in quodcumque voluerit*: inclinatione non morali ſolum, qua etiam Diabolus poteſt; ſed directe, & phyſice cauſante actum. Quare ſubdit: *Deus autem non eſt cauſa peccati, ut ſupra oſtenſum eſt. Relinquitur ergo, quod nihil aliud ſit directe cauſa peccati humani, niſi voluntas.*

XV. Contra ſecundo. D. Thomam loqui de motione indeclinabiliter movente, & adhuc ſtare libertatem, evidenter oſtendo. Tum ex *q.* 6. *de Malo art. unic. ad* 3. ubi reſpondens objicienti, quod ſi *voluntas hominis immobiliter movetur a Deo, ſequitur, quod homo non habeat liberam electionem ſuorum actuum*; ait: *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt. Sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas. Sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur, & tamen a cauſis contingentibus proveniunt effectus contingentes, in quantum Deus omnia movet proportionabiliter ſecundum modum.* Tum etiam 1. 2. *q.* 10. *art.* 4. *ad* 3. ubi proponit ſibi hoc argumentum: *Poſſibile eſt, quo poſito non ſequitur impoſſibile: ſequitur autem impoſſibile, ſi ponatur, quod voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam movet, quia ſecundum hoc operatio Dei eſſet inefficax. Non ergo eſt poſſibile, voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam movet; ergo neceſſe eſt, eam hoc velle.* Cui reſpondet S. Doct. *Ad 3. dicendum, quod ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni, quod voluntas ad illud non moveatur: non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter. Unde non ſequitur, quod voluntas a Deo ex neceſſitate moveatur.* Hoc idem clare docet 1. *p. q.* 19. *art.* 8. ubi, ut oſtendat, voluntatem Dei rebus volitis non imponere neceſſitatem, non recurrit ad impedibilitatem: immo hoc expreſſe reputat, dicens: *Nullus autem defectus cauſæ ſecundæ impedire poteſt, quin voluntas Dei effectum ſuum producat.* Non recurrit ad indifferentiam, ad quam Adverſarii confugiunt, ſed ad efficaciam divinæ voluntatis; & ex hac docet in rebus contingentiam evenire: *Cum enim* (inquit) *aliqua cauſa efficax fuerit ad agendum, effectus conſequitur cauſam, non tantum ſecundum id, quod fit, ſed etiam ſecundum modum fiendi, vel eſſendi... Cum igitur voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri; ſed quod eo modo fiant, quo Deus fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus neceſſario, quædam contingenter; ut ſit ordo in rebus ad complementum Univerſi.*

XVI. Cumque in ſecundo argumento ſibi objeciſſet, cauſam, quæ non poteſt impediri, ex neceſſitate producere ſuum effectum; voluntas autem divina impediri non poteſt, dicente Apoſt. Rom. 9. *Voluntati ejus quis reſiſtit:* non reſpondet, ut adverſarius reſponderet, voluntatem Dei abſolute impediri poſſe, ſed: *Ad 2. dicendum, quod ex hoc ipſo, quod nihil voluntati divinæ reſiſtit, ſequitur, quod non ſolum fiant ea, quæ Deus vult fieri; ſed quod fiant contingenter, vel neceſſario, quæ ſic fieri vult.* Cumque etiam in tertio argumento oppoſuiſſet: Illud, quod habet neceſſitatem ex priori, eſt neceſſarium abſolute: atqui voluntas creata comparatur ad divinam, ut ad aliquid prius; ergo ſi ex illa habet neceſſitatem, habet neceſſitatem abſolutam; reſpondet: *Ad 3. dicendum, quod poſteriora habent neceſſitatem a prioribus ſecundum modum priorum. Unde, & ea, quæ fiunt a voluntate divina, talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult ea habere; ſcilicet vel abſolutam, vel conditionalem tantum. Et ſic non omnia ſunt neceſſaria abſolute.* Ecce S. Doctorem, non ſolum aſſertionem noſtram confirmantem, ſed præbentem nobis reſponſiones, quibus argumentis Adverſariorum occurramus.

XVII. Minus ſubſiſtit aliorum reſponſio, nimirum, S. Thomam exponendum eſſe de concurſu ſimultaneo. Eadem enim actio, ſeu motus voluntatis, ut eſt a Deo dici poteſt motio Dei, non applicativa, ſeu ad actionem, ut volumus nos; ſed formalis, qua formaliter ſeipſam movet, & movetur voluntas a Deo.

XVIII. Minus inquam ſubſiſtit. Nam motio, quam D. Thomas admittit, movet voluntatem ad agendum; ergo prior eſt actione, ſeu motione voluntatis: quia motio moventis prior eſt motione mobilis ratione, aut cauſa, ut ſupra dictum eſt §. præcedente. Rurſus: per eam Deus agit in voluntate movendo eam; concurſus autem ſimultaneus non eſt prior, ſed ſimul cum motione, ſeu actione, imo eſt ipſa actio voluntatis; ut Adverſarii volunt; nec per ipſum Deus agit in voluntatem, ſed cum voluntate in effectum: & inſuper cum juxta ipſos, prout a Deo eſt, ſit indifferens, non poteſt, ut a Deo eſt, dici motio, ſeu determinatio; neque formalis, quia, ut a Deo eſt, determinatur potius ab actione ut a creatura in his circumſtantiis poſita, & ab ea, ſecundum eorum principia, accipit efficaciam. Motio autem, quam D. Thom. admittit, dat efficaciam actui voluntatis, & talem, qua videatur inducere neceſſitatem; qui ſcrupulus non poteſt certe cadere ſupra concurſum ſimultaneum, ut ab Adverſariis ſtatuitur.

XIX. Præterea: concurſus ſimultaneus, quem ſufficere putant Adverſarii, eſt talis; ut Deus ſine ulla prioritate in cauſando, partialiter partialitate cauſæ, & creatura, ſeu voluntas ſimul concurrant ad eamdem actionem, vel effectum: ſed hunc modum concurrendi rejicit Divus Thomas; ergo &c. Min. prob. *Opuſc.* 1. (quod Sanctus Doctor ex mandato Urbani IV. contra errores Græcorum aggreſſus eſt) *Cap.* 23. explicans modum, quo dici poſſit, creaturam cooperari Creatori: *Sciendum* (inquit) *quod aliquid dicitur cooperari alicui dupliciter. Uno modo, quia operatur ad eumdem effectum, ſed per aliam virtutem: ſicut miniſter domino, dum ejus præceptis obedit, & inſtrumentum artifici, a quo movetur. Alio modo dicitur aliquid cooperari alicui, in quantum operatur eamdem operationem cum ipſo: ſicut ſi diceretur de duobus portantibus aliquod pondus, vel de pluribus trahentibus navem, quod unus alteri cooperatur. Secundum igitur primum modum cratura poteſt dici Creatori cooperari quantum ad aliquos effectus, qui fiunt mediante creatura . . . . . Secundo autem modo creatura Creatori non cooperatur, ſed ſolum tres Perſonæ ſibi invicem cooperantur, quia earum operatio eſt una.* Si ergo creata voluntas cooperatur Deo, non ſicut plures partialiter trahentes navem ſibi invicem cooperantur; ſed ſicut miniſter cooperatur domino, dum ejus mandatis obedit, & inſtrumentum artifici: voluntas creata non cooperatur Deo per hoc, quod eadem actio ſit partim ab ipſa, partim a Deo, ſicut eadem tractio navis partialiter eſt a pluribus: ſed per hoc, quod eadem actio ſit ab ipſa ut mota a Deo, ſicut actio miniſtri ex imperio domini; & actio inſtrumenti ex motione artificis: itaut tota ſit ab **utroque**, ſed alio modo, ab uno ut movente, ab alio ut **moto**. Quare 3. *Contra Gent. cap.* 70. explicans modum, quo **idem** effectus eſſe poſſit a Deo, & a cauſa creata, concludit: *Patet autem, quod non ſic idem effectus cauſæ naturali, & divinæ virtuti attribuitur, quaſi partim a Deo, & partim a naturali agente fiat; ſed totus ab utroque ſecundum alium modum: ſicut idem effectus totus attribuitur inſtrumento, & principali agenti etiam totus.* Quare ſicut ſciſſio ligni non tribuitur partim ſerræ, partim artifici, ſed tota eſt ab utroque: ab artifice ut movente, & dante vim ſerræ ad actualem ſciſſionem, & a ſerra, ut mota ab artifice: ita actio voluntaria tota eſt a Deo ut movente, tota a voluntate ut a Deo mota; prius tamen a Deo ratione, & cauſa, quam a voluntate.

XX. Partiales hoſce concurſus Dei, & voluntatis creatæ rejicit S. Th. 1. *p. q.* 23. *a.* 5. ubi referens quorumdam opinionem, ait: *Fuerunt alii, qui dixerunt, quod merita ſequentia prædeſtinationis effectum, ſunt ratio prædeſtinationis: ut intelligatur, quod ideo Deus dat gratiam alicui, & præordinavit, ſe ei*

ſe ei daturum, quia præſcivit, eum bene uſurum gratia. Sicut ſi Rex det alicui militi equum, quem ſcit eo bene uſurum. Quam opinionem refutans: *Sed iſti* (inquit) *videntur diſtinxiſſe inter id, quod eſt ex gratia, & id, quod eſt ex libero arbitrio, quaſi non poſſit eſſe idem ex utroque.* Cui præiverat D. Bernardus *lib. de Lib. arbitr. cap.* 14. ubi poſtquam expoſuit, gratiam ad bonum opus primo prævenire, deinde liberum arbitrium comitari, & eidem cooperari, ſubdit: *Ita tamen, quod a ſola gratia captum eſt, pariter ab utroque perficitur: ut mixtim, non ſingillatim; ſimul, non viciſſim per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium; ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; ſed ut totum in illo, ſic totum ex illa.* Totum ergo opus ſalutis eſt in libero arbitrio, quia facit illud; & totum ex gratia, quia nonniſi ex gratia, ſeu per gratiam illud facit. Et hoc ſane eſſe tutiorem facere viam ſalutis, infert Auguſt. *lib. de Dono perſever. cap.* 6. dicens: *Tutiores igitur vivimus, ſi totum Deo damus; non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.*

XXI. Ex multis rationibus, quibus probari ſolebat, voluntarium liberum, ut agat, indigere Dei prævia motione, & applicatione (quæ apud Noſtrates videri poſſunt) hanc unam eligo, quam potiſſimam cenſeo, & qua Div. Thom. frequentius utitur, quæ talis eſt. *Cauſa, quæ ex ſe eſt contingens, oportet, quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum*: ut enim ait Commentator in 2. Phyſ. *Ab eo, quod eſt ad utrumlibet, non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo inclinetur in unum.* Hoc principium admittit S. Th. 2. *p. q.* 19. *art.* 3. *ad* 5. & ideo ſalvat, voluntatem Dei a nullo extra ſe determinari ad agendum, quia ex ſe non eſt contingens, ſed habet ex ſe neceſſitatem: *Sed* (inquit) *voluntas divina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſeipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Sed voluntarium liberum creatum, ſicut ex ſe non habet neceſſitatem ad eſſe, ſed ex ſe contingens eſt, ut ſit, vel non ſit: ita nec ex ſe habet neceſſitatem, ſed meram, ac intrinſecam contingentiam ad agere, vel non agere; ergo, ſicut, ut ſit, eget Deo faciente ut ſit; ita, ut operetur, eget Deo operante, ut agat, ſeu Deo ipſum ad agendum determinante; alias quod ſolius voluntatis divinæ natura eſt, ad voluntatem creatam transferremus.

XXII. Quod ſi dixeris, ſatis eſſe ad tollendam a voluntate hanc indifferentiam, ſeu contingentiam, determinari voluntatem a Deo ad primum actum indeliberatum, quo poſito ſola morali determinatione determinat ſeipſam ad actus ſubſequentes. Quæ reſponſio videtur ſumpta ex D. Thoma 1. 2. *q.* 9. *art.* 6. *ad* 3. ubi ait: *Deus movet voluntatem hominis ſicut univerſalis motor ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum: & ſine hac univerſali motione homo non poteſt aliquid velle. Sed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud, quod eſt vere bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum ſpecialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod eſt bonum, ſicut in his, quos movet per gratiam.* Igitur ad actus naturales non datur alia Dei motio, niſi ad primum, quo voluntas incipit bonum velle indeliberate.

XXIII. Contra eſt. Voluntas determinata ad primum actum indeliberatum manet adhuc indifferens ad actum deliberatum, & liberum indifferentia non ſolum morali ſed etiam phyſica; & quidem non pure activa, qualis eſt indifferentia voluntatis divinæ, ſed etiam paſſiva, & ſubjectiva; ideſt, non ſolum ad communicandam perfectionem, ſed etiam ad perfectionem recipiendam ab actu. A quo igitur in eo genere, & ad illum actum potius determinatur? Neque enim ſola motio moralis directe influit, & efficienter inclinat, ſed ſolum diſpoſitive; ut ſuperius cum D. Thoma *q.* 3. *de Malo art.* 3. dictum eſt. Erit ergo dicendum, quod voluntas, ut libera in eligendo, minime a Deo determinetur in genere phyſico, & efficienti; & quod non ſit dependens a primo libero, & conſequenter ſit primum liberum.

XXIV. Confirmatur ergo præfata ratio ex Div. Thom. 2. *Phyſ. lect.* 8. ubi: *Sicut* (inquit) *potentia motiva, quæ eſt ad utrumlibet, non exit in actum, niſi per potentiam appetitivam determinetur ad unum: ita nihil, quod eſt ad utrumlibet, exit in actum, niſi per aliquid determinetur ad unum. Quia id, quod eſt ad utrumlibet, eſt ſicut ens in potentia; potentia autem non eſt principium agendi, ſed actus. Unde ex eo, quod eſt ad utrumlibet, nihil ſequitur, niſi per aliquid aliud, quod determinat ad unum.* Tunc ſic. Sed voluntas determinata a Deo circa finem ſeu ad actum indeliberatum, & naturalem circa univerſale bonum, adhuc eſt in potentia, & ad utrumlibet quoad actus deliberatos, & liberos circa media ad eligendum hoc, vel illud, ad eligendum, vel non eligendum; ergo non poterit exire in actum circa unum potius, quam circa alterum, niſi ab aliquo determinetur.

XXV. Quia vero poſſet aliquis dicere, voluntatem, poſita prima intentione finis, eſſe potentem ſe determinare ad alios ſubſequentes actus, ſive ex parte objecti, nempe finis eam moventis ad eligenda media; ſive ex parte ſubjecti, ſeu quoad exercitium, quin ſequatur, quod ſecundum idem ſit in potentia, & in actu: *Sicut enim* (inquit S. Thom. q. 6. de Malo art. unico in corp.) *homo ſecundum intellectum in via inventionis movet ſeipſum ad ſcientiam, in quantum ex uno noto in actu venit in aliquid ignotum, quod erat ſolum in potentia notum: ita per hoc, quod homo aliquid vult in actu, movet ſe ad volendum aliquid aliud in actu; ſicut per hoc, quod vult ſanitatem, movet ſe ad volendum ſumere potionem. Ex hoc enim, quod vult ſanitatem, incipit conſiliari de his, quæ conferunt ad ſanitatem, & tandem determinato conſilio vult accipere potionem. Sic ergo voluntatem accipiendi potionem præcedit conſilium, quod quidem procedit ex voluntate volentis conſiliari . . . Sed cum voluntas non ſemper voluerit conſiliari, neceſſe eſt, quod ab aliquo moveatur ad hoc, quod velit conſiliari . . . Et cum hoc in infinitum procedere non poſſit, neceſſe eſt ponere, quod quantum ad primum motum voluntatis moveatur voluntas cujuſcumque non ſemper actu volentis ab aliquo exteriori, cujus inſtinctu voluntas velle incipiat.* Inde rejecta opinione eorum, qui voluntatem ad primum actum volendi moveri dicebant inſtinctu corporis Cæleſtis: concludit: *Relinquitur ergo, ſicut concludit Ariſt. in Cap. de bona fortuna, quod id, quod primo movet voluntatem, & intellectum, ſit aliquid ſupra voluntatem, & intellectum, ſcilicet Deus*; ergo ſecundum D. Thom. voluntas a Deo mota ad primum actum, abſque ulteriori Dei motione, poteſt ex tali actu movere ſe ad conſilium, & ad electionem.

XXVI. Contra. Eſto voluntas ex intentione finis fiat potens ſe determinare ad electionem determinatione ſui ordinis, non tamen determinatione omnis ordinis, excludendo etiam determinationem Dei; alioquin ſolus primus actus caderet ſub Dei diſpoſitione, & dominio, reliqui autem ſub ſolius creatæ voluntatis diſpoſitione, ac dominio eſſent: & homo plene relinqueretur in manu conſilii ſui, Deo in ipſo nil amplius operante. Quod reprobatur a S. Thoma, tum 1. *p. q.* 22. *art.* 2. *ad* 4. Tum *q.* 3. *de Potentia art.* 7. *ad* 12. his verbis: *Deus non dicitur hominem dereliquiſſe in manu conſilii ſui, quin in voluntate operetur: ſed quia voluntati hominis dedit dominium ſui actus, ut non eſſet obligata ad alteram partem contradictionis. Quod quidem dominium naturæ non dedit, cum per ſuam formam ſit determinata ad unum.* Quomodo autem habeat hoc dominium explicans ibi ad 13. *Voluntas* (inquit) *dicitur habere dominium ſui actus, non per excluſionem cauſæ primæ: ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntate, ut eam de neceſſitate ad unum determinet, ſicut determinat naturam; & ideo determinatio actus relinquitur in poteſtate rationis, & voluntatis.*

XXVII. In quo autem ſenſu intelligat, naturam eſſe per ſuam formam determinatam ad unum, voluntatem vero non; exponit *q.* 6. *de Malo art. unic. in corp.* ubi poſtquam dixit, quod ſicut in rebus naturalibus invenitur *forma, quæ eſt principium actionis, & inclinatio conſequens formam, quæ dicitur appetitus naturalis, ex quibus ſequitur actio: ita in homine invenitur forma intellectiva, & inclinatio voluntatis conſequens formam apprehenſam, ex quibus ſequitur exterior actio* —— Subdit hæc bene notanda: *Sed in hoc eſt differentia. Quia forma rei naturalis eſt forma individuata per materiam: unde inclinatio ipſam conſequens eſt determinata ad unum. Sed forma intellecta eſt univerſalis, ſub qua multa poſſunt comprehendi: unde cum actus ſint in ſingularibus, in quibus nullum eſt, quod adæquet potentiam univerſalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminate ſe habens ad multa. Sicut ſi artifex concipiat formam domus in univerſali, ſub qua comprehenduntur diverſæ figuræ domus, poteſt voluntas ejus inclinari ad hoc, quod faciat domum quadratam, vel rotundam, vel alterius figuræ.* Hæc D. Thomas. Quibus manet explicata voluntatis indifferentia, libertas, & poteſtas ad ſuos actus, non per excluſionem divinæ cauſalitatis, & motionis: ſed quia principia conſtitutiva, nempe forma apprehenſa, & inclinatio indifferentia ſunt ad multa, & non ad unum determinata.

XXVIII. Neque his contraria ſunt, quæ in eodem articulo ab eodem Sancto Doctore dicta, ſuperius objecta ſunt. Dum enim ait, ad primum actum cognitionis, & volitionis finis intellectum, & voluntatem moveri a Deo, ad electiones autem ex illo primo actu ſeſe movere per conſilium; non excludit motionem Dei, ut patet ex iis, quæ docet *ad* 3. & ſupra retulimus: ſed ſolum aſſignat modum ſpecialem, & diverſum, quo movetur ad primum actum ab eo, quo ad alios actus movetur. Nam cum primum actum nulla præcedat voluntas, nullumque conſilium; voluntas a ſolo Deo movetur, ac elicit quidem illum actum, ſed ut pure mota, & non ſe movens ex alio actu: ad electionem autem, quia ſupponitur jam in actu per primam intentionem finis movetur quidem, ſed & ſeipſam movet per conſilium.

XXIX. Et hac eadem ratione explico verba ejuſdem S. Doctoris prolata ex 1. 2. *quæſt.* 9. *art.* 6. *ad* 3. nempe ſolum ibi conſtituere diſcrimen inter motionem Dei, qua movet voluntatem ad bonum univerſale: tamquam movens adæquatum, & qua voluntas ſe habet ſolum ut mota, & non ſe movens, ſed ſolum eliciens; & eam, qua movetur ad bona particularia, in qua non ſolum movetur, ſed etiam ſe movet ad eligendum: ut ex hoc reſpondeat argumento, quod intendebat, probare, *quod ſi voluntas a ſolo Deo moveretur, nunquam moveretur ad malum.* Cui bene ſatisfacit dicendo, quod in actu circa univerſale bonum, ad quem a ſolo Deo movetur, malum operari non poteſt; bene tamen in actu, quo vult hoc, vel illud particulare bonum: ad quem non a ſolo Deo ſpecialiter movetur, ſed etiam a ſeipſa, & propria determinatione, & conſilio, quo determinari poteſt ad volendum vel illud, quod eſt vere bonum, vel illud, quod eſt bonum ſolum apparens.

XXX. Quod vero ibidem ſubdit: *Interdum Deus ſpecialiter movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod eſt bonum, ſicut in his, quos movet per gratiam.* Non arguit, Deum non movere voluntatem ad alia bona particularia, quæ non per gratiam vult; ſed ſolum Deum ad ea non movere motione ſpeciali, ſicut ad ea, ad quæ per gratiam movet; ſed ſolum motione generali, & tamquam univerſalem Motorem, ac Proviſorem. Quia vero S. Thomas laudatus ad Tractatum de Gratia remittit Lectorem; non pigeat, allatam a nobis doctri-

ctrinam ex ejus mente colligere. Igitur 1. 2. *quæſt.* 111. *art.* 2. diſtinguens gratiam in operantem, & cooperantem: *operatio* (inquit) *alicujus effectus non attribuitur mobili, ſed moventi. In illo ergo effectu, in quo mens noſtra eſt mota, & non movens, ſolus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur; & ſecundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens noſtra ſe movet, & movetur, operatio non ſolum attribuitur Deo, ſed etiam animæ; & ſecundum hoc dicitur gratia cooperans.* Similiter ergo in ordine naturali in illo actu, quo voluntas movetur ad univerſale bonum, & eſt mota, & non movens, operatio Deo attribuitur: in aliis autem actibus circa particularia bona, ad quæ datur electio, movetur quidem voluntas, ſed etiam ſe movet; & ideo non tribuuntur Deo ſoli, ſed etiam voluntati, quæ in iſtis exercet liberum arbitrium, & ei convenit dominium ſupra illos, licet non ita, ſicut primo agenti, ut docet idem S. Doct. *in* 2. *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 3.

XXXI. Porro quod Deus moveat voluntatem non ſolum ad intentionem finis, ſed etiam ad electiones mediorum, expreſſe docet D. Thomas, non ſolum ex ratione indifferentiæ, qua voluntas, etiam intento fine, indifferens eſt ad eligendum hoc, vel illud medium, ut ſuperius oſtendimus; ſed etiam ex modo, quo res humanæ ad ſuperiores cauſas reducuntur, ne quidquam fiat fortuito. Hoc tradit Angelicus noſter 3. *Contra Gentes cap.* 91. dicens: *Electiones, & voluntates immediate a Deo diſponuntur: cognitio vero humana ad intellectum pertinens a Deo mediantibus Angelis ordinatur: ea vero, quæ ad corporalia pertinent, ſive ſint interiora, ſive exteriora, in uſum hominis venientia, a Deo mediantibus Angelis, & cæleſtibus corporibus diſpenſatur.* En igitur ordinem. Electiones, & voluntates ſolus Deus ordinat, & diſponit; cognitiones intellectus Deus mediantibus Angelis; corporalia Deus mediantibus Angelis, & corporibus cæleſtibus. Et rationem dat: *Nam oportet, omne multiforme, & mutabile, & deficere potens, reduci, ſicut in principium, in aliquod uniforme, & immutabile, & deficere non valens: omnia autem, quæ in nobis ſunt inveniuntur eſſe multiplicia, variabilia, & defectibilia.*

Patet enim, quod electiones noſtræ multiplicitatem habent, cum in diverſis, & a diverſis diverſa eligantur. Mutabiles etiam ſunt: tum propter animi levitatem, qui non eſt firmatus in fine ultimo: tum etiam propter mutationem rerum, quæ nos circumſtant. Quod autem defectibiles ſunt, hominum peccata teſtantur. Divina autem voluntas uniformis eſt, quia unum volendo omnia alia vult: & immutabilis, & indeficiens eſt, ut oſtenſum eſt in primo (c. 13. & 95.) *Oportet ergo, omnium voluntatum, & electionum motus in divinam voluntatem reduci, non autem in aliquam aliam cauſam; quia ſolus Deus noſtrarum voluntatum, & electionum cauſa eſt.* Patet autem, S. Doctorem loqui de cauſa phyſica, & non ſolum morali; quia cauſalitate morali non ſolus Deus, ſed & Angelus, immo & alius homo, in noſtras electiones poteſt influere.

XXXII. Plura alia, quæ ſupereſſent, tum ex Scripturis, tum ex Patribus, maxime S. Auguſtino, omitto. Tum quia jam dicta ſunt, dum in *Tract. de Volunt. Dei Quæſt.* 4. *Dub.* 1. & 2. ſtatuimus, Decreta Dei eſſe per ſe, & ab intrinſeco efficacia, & cohærere cum libertate creata: ex quo ſequitur, motionem Dei, quæ eſt temporalis executio illorum decretorum, eſſe etiam ab intrinſeco efficacem. Tum quia, quæ hic, & ibi deerunt, Studioſus invenire poterit apud noſtræ Scolæ Doctores, quæſtionem hanc ſtylo fuſiori tractantes, maxime autem Sylvium *tom.* 5. *de Motione primi Motoris.* Maſſoulie duobus Tomis inſcriptis *D. Thomas ſui interpres de divina motione.* Gonetum *Clypeo Theol. Thomiſt. de modo, quo Voluntas movetur diſp.* 6. *art.* 2. & alios.

§. III.

Fundamenta contraria.

XXXIII. QUæ pro tuenda humana, & creata libertate Adverſarii nobis opponunt contra phyſicam, & efficacem præmotionem, eadem ſunt, ac quæ opponunt contra efficaciam decreti divini antecedentem humanam libertatem: ideoque a nobis jam propoſita, & ſoluta dicto *Tract. de Volunt. Dei Quæſt.* 4. *Dub.* 2. per totum. Illuc ergo Candidatum meum remitto. Aliqua tamen huc ſubjiciam. Et quia adverſarii moventur ad negandam efficacem Dei motionem ad actus liberos, ne videantur conſentire Calvino, ad quem noſtra ſententia videtur ipſis accedere.

XXXIV. Objiciunt primo celebrem Concilii Tridentini Canonem, quo *Seſſ.* 6. *de Juſtif. Canon.* 4. præfatum hæreticum configit, dicens: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, nec poſſe diſſentire, ſi velit: ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere; anathema ſit.* Hoc Canone putant exterminari phyſicam, & efficacem Dei motionem ad actus liberos, utpote auferentem *poſſe diſſentire, ſi velit.*

XXXV. Jam reſpondi *q.* 4. *de Volunt. Dei Dub.* 2. §. 2. *a num.* 10. Nunc dico primo. Hoc Canone non exterminari, ſed magis firmari motionem efficacem ab intrinſeco. Dum enim ait, liberum arbitrium a Deo motum, ſupponit voluntatem a Deo moveri, nedum ad actus primos indeliberatos, ſed ad actus liberos: moveri inſuper motione per ſe efficaci; & hac ſtante manere liberum arbitrium, & poſſe diſſentire. Nam liberum arbitrium poſſe diſſentire dicit motum ea motione, quam ponebat Calvinus; & qua poſita liberum arbitrium quidquam agere, ſeu cooperari, & diſſentire poſſe negabat; ſed hoc certe Calvinus non negabat de motione, vel ſolum morali, vel efficaci ſolum ex conſenſu; ſed de efficaci per ſe, & ab intrinſeco, quam dicebat inſidere voluntati, ſicut ſeſſor inſidet equo, ei neceſſitatem imponendo: ergo Concilium ſtatuens oppoſitum, ſtatuit, liberum arbitrium motione, etſi efficaci ab intrinſeco, adhuc cooperari, agere, poſſe diſſentire &c. alioquin facilius fuiſſet Concilio, & directius contra Calvinum ſtatuere, liberum arbitrium a Deo non moveri motione ab intrinſeco efficaci, quo tota Calvini machina ruebat. Cum igitur Calvinus duo diceret: unum, motionem Dei eſſe per ſe efficacem; & alterum, quod ex illo inferebat, nempe, per eam liberum arbitrium tolli, Concilium negavit quidem conſequens a Calvino illatum, non tamen negavit antecedens; ſed ſtatuit, quod eo poſito non ſequitur liberi arbitrii everſio, quam male Calvinus inferebat.

XXXVI. At hoc quid aliud fuit, quam ſententiam D. Thomæ, & noſtram ſuo Canone confirmare? Dicit D. Thom. & dicimus nos, cum eo *q.* 6. *de Malo art. unico ad* 3. quod *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter, propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt: ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas.* Dicit Concilium, liberum arbitrium a Deo motum *cooperari Deo* moventi, actu aſſentiendo; *poſſe* tamen *diſſentire, ſi velit.* Hoc etiam dicit Sanct. Thomas, & nos cum eo 1. 2. quæſt. 10. art. 4. ad 3. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni, quod voluntas ad illud non moveatur* (cooperando motioni) *non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter. Unde non ſequitur, quod voluntas a Deo ex neceſſitate moveatur.* Et hoc, quia, ut ait Quodlib. 1. art. 7. ad 2. *Deus movet omnia ſecundum modum eorum; & ideo divina motio a quibuſdam participatur cum neceſſitate, a natura autem rationali cum libertate; propter hoc, quod virtus rationalis ſe habet ad oppoſita. Et ideo ſic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen poteſt huic motioni reſiſtere.*

XXXVII. Sapientiſſime ergo a Patribus ejuſdem Concilii dictum eſt, liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum *poſſe diſſentire, ſi velit;* ut innuerent, etiam ſtante motione, integram manere potentiam volendi, & non volendi, & ſolum deeſſe voluntatem diſſentiendi. Et quod ſi voluntas vellet diſſentire Deo moventi, poſſet, cum nihil deſit ex parte potentiæ. Si enim reipſa non diſſentit, inde oritur, quod non velit: atque id efficit ipſa motio, non quidem ut non poſſit non velle, ſed dumtaxat, ut non velit: in quo divinæ motionis artificium mirabile poſitum eſt, quæ immobiliter quidem movet, ſed quia movet ſecundum naturam rei, quam movet, ſi res, quam movet, eſt indifferens ad multa, non inducit neceſſitatem, ſed relinquit indifferentiam, & potentiam, ac proinde libertatem. Concilium ergo dicens, hominem a Deo motum *poſſe diſſentire, ſi velit;* monere voluit, in homine a Deo moto adhuc manere libertatem: cur autem velit potius conſentire Deo moventi, quam diſſentire, a Dei motione fieri. Unde S. Auguſt. lib. de Gratia, & lib. arb. cap. 16. *Certum* (inquit) *eſt enim, nos mandata ſervare, ſi volumus; ſed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Certum eſt, nos velle cum volumus; ſed ille facit ut velimus bonum . . . . Certum eſt nos facere, cum facimus; ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit:* Faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis &c. Recolantur quæ ad hunc Concilii textum ſuperius ponderavimus citato loco *Quæſt.* 4. *de Volunt. Dei Dub.* 2. §. 2. *a n.* 10.

XXXVIII. Objiciunt ſecundo aliqua D. Thomæ teſtimonia, quæ videntur phyſicæ præmotioni contraria. Primo *in* 2. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *ad* 3. dicit: quod determinatio actionis ſit in poteſtate liberi arbitrii: non eſſet autem, ſi eſſet in poteſtate Dei. Item *diſt.* 34. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ad quartum*: voluntas (inquit) *non eſt determinata ad unum, ſed ſeipſam determinat,* Diſt. 35. *q.* 1. *art.* 3. dicit: quod *cum libera ſit, nec ad aliquid faciendum, vel non faciendum, determinetur &c.* Et *diſt.* 39. *q.* 1. *art.* 1. ait: quod *determinate exeat in hoc punctum, vel illum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate.*

XXXIX. Secundo docet, agentia particularia determinare potius concurſum cauſæ univerſalis; ut 3. *Contra Gentes c.* 102. Secunda agentia vocat quaſi particulantia, & determinantia actionem primi agentis, ut 3. *Contra Gen. cap.* 66. Et *q.* 5. *de Verit. art.* 9. *ad* 10. dicit: quod actus cauſæ primæ determinatur quodammodo per cauſam ſecundam ad hunc effectum.

XL. Tertio docet, Deum interdum movere voluntatem nihil in ea imprimendo; ut *q.* 22. *de Verit. art.* Et 1. 2. *q.* 9. *art.* 6. *ad* 3. docet, Deum *interdum* ſpecialiter movere *aliquos ad aliquid determinate volendum, quod eſt bonum: ſicut in iis, quos movet per gratiam,* ergo non ſemper movet, nec ad omnes actus.

XLI. Reſpondeo, de mente S. Thomæ dubitari non poſſe, ut oſtendimus, nec oppoſitum probant loca adducta. Ad ea enim, quæ primo loco adducta ſunt: ad primum dico, S. Doct. velle, quod determinatio actionis ſit in poteſtate voluntatis, quia habet dominium ſui actus; adjungere tamen, quod non ita eſt in ejus poteſtate, ſicut convenit primo agenti; quia ſcilicet non poteſt ſe determinare, niſi ſub Deo determinante. Ad ſecundum, & tertium dico, quod S. Doct. docet, voluntatem non eſſe determinatam, vel non determinari, niſi a ſeipſa, quia ſecundum ſe non eſt determinata ad unum,

unum, ſicut ſunt cauſæ naturales; determinatur autem a ſeipſa per excluſionem alterius cauſæ ſui ordinis, & creatæ, non vero per excluſionem cauſæ primæ.

XLII. Ad ea, quæ ſecundo loco opponuntur, dico, quod in 3. *Contra Gentes cap.* 102. loquitur de cauſa univerſali creata. Immo in fine capitis ait: quod Dei *virtus, cum ſit infinita, non determinatur ad aliquem ſpecialem effectum.* Ex quo concludit, Deum ſolum ſupra naturæ ordinem agere poſſe, miracula faciendo. Cap. vero 66. ubi loquitur de cauſa prima; ſicut etiam citata *quæſt.* 5. *de Veritate*, Vocat cauſas ſecundas particulantes, & determinantes; vel quia Deus illis quaſi mediantibus operatur, & per hanc cauſam particularem hoc eſſe producit, per aliam aliud. Vel quia, ut docet in 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 4. Deus *eſt dans eſſe rebus. Cauſæ autem aliæ ſunt quaſi determinantes illud eſſe. Nullius enim rei totum eſſe ab aliqua creatura principium ſumit, cum materia a Deo ſolum ſit:* Vel denique quia particularis effectus magis aſſimilatur cauſæ ſecundæ, quam primæ: ei enim aſſimilatur in ratione particulari & determinata, & hoc modo quodammodo determinat actum cauſæ primæ. Hanc reſponſ. indicat *q.* 5. *de Verit. citata art.* 9. *ad* 10.

Dici etiam poteſt, cauſas ſecundas modificare, & determinare actionem Dei, quaſi paſſive: quia, ut dicebamus, Deus attemperat, & accommodat ſuum concurſum naturis rerum; ut, licet omnes præmoveat, neceſſarias tamen movet neceſſario, contingentes vero contingenter; ut docet 1. *p. q.* 83. *art.* 1. *ad* 3.

XLIII. Ad ea, quæ tertio loco objiciuntur, dico ad primam, mentem S. Thomæ eſſe, Deum interdum movere voluntatem, nihil in ea imprimendo tamquam donum habituale gratiæ, & Charitatis: ſed interdum ſolis auxiliis actualibus eam movere. Ibi enim, nempe, *quæſt.* 22. *de Verit. art.* 8. poſtquam dixit, quod *omnis actio voluntatis, in quantum eſt actio, non ſolum eſt a voluntate, ut immediate agente, ſed a Deo, ut a primo agente, qui vehementius imprimit. Unde ſicut voluntas poteſt immutare actum ſuum in aliud . . . . . ita & multo amplius Deus;* ſtatim ſubdit: *Immutat autem voluntatem dupliciter. Uno modo movendo tantum; quando ſcilicet voluntatem movet ad aliquod volendum, ſine hoc quod aliquam formam imprimat voluntati; ſicut ſine appoſitione alicujus habitus, quandoque facit, ut homo velit hoc, quod prius non volebat.* Ex quibus patet, S. Doct. ſolum velle, quod Deus non ſemper voluntatem immutet imprimendo in ea formam habitualem.

Sed patet etiam hac doctrina mirifice confirmari noſtram ſententiam. Si enim omnis actio voluntatis non ſolum eſt a voluntate, ſed a Deo, qui vehementius imprimit; ergo Deus vehementius imprimens in actionem voluntatis, non lædit ejus libertatem: alias cum in omnem actionem voluntatis Deus vehementius imprimat, nulla actio voluntatis erit libera. Inſuper ut S. Doct. ait, quod *ſicut voluntas poteſt immutare actum ſuum in aliud, ita & multo magis Deus;* ergo ſicut voluntas, abſque læſione libertatis, phyſice ſe movet de uno actu in alium: ita & a fortiori Deus poteſt eam de uno actu in alium, abſque læſione libertatis, phyſice movere, & immutare. Tandem S. Doct. dicit, quod Deus immutans liberum arbitrium, *facit, ut homo velit hoc, quod prius non volebat;* ergo cum per concurſum ſimultaneum Deus nec moveat liberum arbitrium, nec faciat ut homo velit (maxime in ſententia adverſaria ponente concurſum, ut a Deo eſt, indifferentem) ſequitur, D. Thom. velle, quod Deus immutare poſſit actum voluntatis, & facere, ut velit hoc, quod prius non volebat, ſola motione prævia.

Ad id, quod objiciebatur ex 1. 2. *q.* 9. *art.* 6. *ad* 3. jam reſponſum eſt §. præcedente num. 30. Inſuper addo, S. Doct. ſolum velle, Deum non ſemper movere voluntatem motione ſpeciali ad bonum ſalutare determinate, ſicut in iis, quos movet per gratiam: unde male concluditur, non ſemper voluntatem movere motione ſaltem generali. Immo ex hoc potius Dei determinatio firmatur. Nam in iis, quos movet per gratiam, ſic operatur, ut eos moveat ad aliquid boni determinate volendum; ergo eos determinat: quid enim eſt determinare, niſi facere, ut hoc eligatur, non aliud? At hoc facit Deus non lædens eorum libertatem; ergo determinare ad actum non lædit libertatem.

XLIV. Objiciunt tertio. Non eſt explicabile, quid ſit iſta motio, ſeu prædeterminatio phyſica: num ſit ipſa actio creaturæ, an ab ea diſtincta: num ſe teneat ex parte actus primi, an vero actus ſecundi. Quomodo ſit efficax, & antecedens, nec in manu noſtra ſit eam habere, aut rejicere, & tamen libertati non obſit. Quomodo demum verificetur, quod ſeſe attemperet voluntati; ergo &c.

XLV. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum. Aliqui inter quos Sylvius tract. de primo Motore *part.* 3. *art.* 1. & 2. diſtinguunt inter prædeterminationem, quæ eſt actio Dei immanens, & hanc dicunt, eſſe rem ab actione creaturæ, ſeu cauſæ ſecundæ diſtinctam: & prædeterminationem, quæ eſt actio virtualiter tranſiens, ſeu effectus temporaneus actionis Dei immanentis, qua cauſa ſecunda formaliter determinatur, & agit, & hanc dicunt non eſſe rem ab actione cauſæ ſecundæ diſtinctam, ſed eſſe ipſam eamdem cauſæ creatæ actionem, quæ cum prius natura procedat a Deo, quam a creatura, dicitur determinatio Dei. Eorum autem ratio eſt; quia applicare aliquam rem ad operandum, eſt uti illa re; ſicut uti equo ad equitandum, uti baculo ad percutiendum: unde D. Th. 1. 2. quæſt. 16. art. 1. *Uſus* (inquit) *rei alicujus importat applicationem rei illius ad aliquam operationem: unde & operatio, ad quam applicamus rem aliquam, dicitur uſus ejus; ſicut equitare eſt uſus equi, & percutere eſt uſus baculi.* Sicut ergo equitare eſt uſus equi, nec differt ab equitatione, percutere eſt uſus baculi, nec differt a percuſſione, ſcindere eſt uſus cultri, nec differt a ſciſſione: ita Deum movere, & applicare creaturam ad agendum eſt uti creatura; & uſus iſte aliud non erit, quam Deum per creaturam agere, nec differet ab actione.

Hinc inferunt, quod cum cauſa ſecunda determinatur a Deo, nihil ab eo recipit, quod ſit vel qualitas, vel virtus, aut aliquid aliud ab actione diſtinctum; ſed ſolum hoc, quod fiat cauſa in actu, quod eſt agere, & operari, quod nihil aliud eſt, quam motus, ſeu actio.

XLVI. Iſte tamen dicendi modus communiter diſplicet. Nam actio voluntatis, eſt id, quo volumus; motio autem Dei eſt, qua facit, ut velimus, ſicut etiam, qua facit, ut faciamus: & conſequenter motio divina eſt, qua Deus in nobis cauſat actionem, quia Deus operatur in nobis velle, & perficere. Et hoc non ſolum verum eſt de motione active ſumpta, ſeu ut eſt actio Dei immanens; ſed de motione quaſi paſſive ab illa activa motione in cauſam ſecundam deſcendente tamquam exequente motionem illam activam: eſt enim id, quo Deus in tempore facit, ut velimus, ut faciamus. Cum id, quo Deus facit, ut velimus, & faciamus, ſit cauſa, ut velimus, & faciamus, & cauſa debeat eſſe realiter prior effectu, quem cauſat; non video, quomodo divina motio prævia, qua Deus efficit in nobis actionem, poſſit eſſe eadem actio noſtra, ut a Deo eſt. Eo vel maxime, quia ut docet Sanct. Thom. 3. Contra Gentes cap. 149. *Motio moventis præcedit motionem mobilis ratione, & cauſa;* & ideo agimus, quia Deus ſua motione nos prævenit. Quare concludit ibi: *ideo per bona opera proficimus, quia divino auxilio prævenimur.* Et infra: *Anima humana ordinatur ſub Deo, ſicut particulare agens ſub univerſali: impoſſibile eſt ergo, eſſe aliquem rectum motum in ipſa, quem non præveniat actio ejus.* Si ergo motio divina prævenit motum voluntatis, non poteſt eſſe actio ipſa voluntatis. Nec refert, quod applicatio alicujus rei ad operationem dicatur *uſus*, & operatio ipſa *uſus* vocatur: nam etiam actus voluntatis moventis potentias executivas dicitur uſus, & actus potentiarum exequentium uſus vocatur: ille tamen dicitur uſus movens, iſte uſus executivus, & realiter diſtinguitur ab illo, ut docet D. Th. loco relato, his verbis: *Uti primo, & principaliter eſt voluntatis tamquam primi moventis, rationis autem tamquam dirigentis; ſed aliarum potentiarum tamquam exequentium, quæ comparantur ad voluntatem, a qua applicantur ad agendum, ſicut inſtrumenta ad principale agens.*

Cum ergo cauſæ creatæ, ut docet D. Th. comparentur ad Deum quaſi ut inſtrumenta ad principale agens; motio Dei moventis, qua applicantur ad agendum, erit uſus movens, operatio vero cauſæ creatæ, erit uſus exequens, & ideo diſtinctus ab uſu movente. Quid vero ſit iſta motio ab actione diſtincta, jam ſupra dictum eſt, eam non eſſe formam habentem eſſe ratum, & permanens, ſed per modum motus habentis eſſe viale, & tranſiens. Videantur dicta §. 1. *n.* 5. & 6.

XLVII. An vero ſe teneat ex parte actus primi, an ſecundi: dico, eſſe aliquid medium inter actum primum, & ſecundum, per modum nexus, & vinculi conjungentis actum primum, nempe potentiam cum actu ſecundo; cum ſit operatio, ſeu applicatio potentiæ ad operationem; eo ſimili modo, quo modus unionis, qui ab aliquibus ponitur ut nexus conjungens materiam, & formam.

XLVIII. Quomodo autem, etſi efficax, & antecedens actum, nec in manu noſtra ſit eam advocare, aut rejicere; & tamen libertati non obſit. Quomodo etiam verificetur, quod ſe attemperet voluntati, ſatis explicavimus in *Tract. de Volunt. Dei Quæſt.* 4. *Dubio* 2. per totum, quo Candidatum meum remitto. Cui præ oculis ſemper eſſe volo, quod efficacia divinæ motionis non eſt abſoluta, & eodem modo in omnibus agens, ſed reſpectiva ad naturam, in qua agit; ita ut eſto ſemper conjungatur cum effectu, conjungitur tamen eo modo, quo natura per illam agens petit conjungi, ſive neceſſario, ſive contingenter, ſive libere: quod licet explicaverim loco citato *Dub.* 2. §. 1. *a num.* 6.

XLIX. Attamen placet hic alia Div. Thomæ doctrina confirmare ex *q.* 24. *de Verit. art.* 8. ubi poſtquam ſtatuit, liberum hominis arbitrium poſſe in bono confirmari per aliquod gratiæ donum; objicit ſibi ſextum argumentum, quod tale eſt: *Ut dicitur in libro de cauſis: quod eſt in aliquo, eſt in eo per modum ejus, in quo eſt; ſed liberum arbitrium ſecundum ſuam naturam eſt mutabile in bonum, & malum; ergo & gratia ei ſuperveniens, hoc modo in eo recipitur, quod in bonum, & malum mutari poſſit: & ita videtur, quod non poſſit ipſum confirmare in bono.* —— Cui reſpondet: *Ad ſextum dicendum, ejus, quod recipitur in aliquo, poteſt conſiderari, & eſſe, &* ratio. *Secundum quidem eſſe ſuum eſt in eo, in quo recipitur per modum recipientis; ſed tamen ipſum recipiens trahitur ad ſuam rationem: ſicut calor receptus in aqua habet eſſe in aqua per modum aquæ, in quantum ſcilicet ineſt aquæ ut accidens ſubjecto: tamen aquam trahit naturali ſua diſpoſitione ad hoc, quod fiat calida, & faciat actum caloris; & ſimiliter lux aerem, licet non contra naturam aeris. Ita & gratia ſecundum eſſe ſuum eſt in libero arbitrio per modum ejus, ſicut accidens in ſubjecto; ſed tamen ad rationem ſuæ immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit, ipſum Deo conjungens.*

L. Igitur juxta doctrinam Angelici Præceptoris noſtri, duo in divina motione diſtinguenda occurrunt; nempe ipſius entitas, & inſuper ſpecialis ratio, quæ nil aliud eſt, quam participatio quædam divinæ virtutis. Et ſi quidem, ut entitas quædam eſt, divina motio ſpectetur; nihil vetat, quin in voluntate

luntate creata recipiatur juxta modum ipſius, ſicut accidens in ſubjecto, ipſius conditiones induat, & indifferentiam quamdam ita habeat; ut etiam & contrarius actus in voluntate humana compati ſecum poſſit. At ſi propriiſſima divinæ motionis ratio inſpiciatur, & ut eſt divinæ virtutis participatio, alteram omnino conditionem induit. Retinet enim ſuæ originis dotes, & jura; applicat infallibiliter voluntatem, non poteſt cum actu contrario ulla potentia componi, tribuitque quamdam immutabilitatem voluntati.

LI. Id autem duplici exemplo lucis, & caloris explicat idem Angelicus; quo etiam divinæ motionis varii effectus in duplici naturæ ſtatu, innocentis, & corruptæ demonſtrari poſſunt. Aer enim, cui nihil ineſt rationi, & conditioni lucis contrarium, opportuniſſimum exemplum eſt, quo explicetur divinæ motionis vis in Angelo, & primo homine; in quibus nihil erat divinæ motioni reſiſtens, ſicut in aere nihil eſt reſiſtens luci. At aqua, cui innata frigiditas ineſt calori contraria, & quam calor vincere debet, exemplum eſt nobis ob oculos ponens divinæ motionis vim, qua in homine corrupto vincere debet difficultates quaſi ingenitas, ipſum retrahentes a volendo, & operando bonum. In utroque autem exemplo ſi entitas lucis, & caloris communis ſpectetur; in ſubjecto ad modum recipientis vel aquæ, vel aeris recipitur; ſimilem conditionem induit, nec tenebras, nec frigus non magis, quam aer, & aqua excludit. At ſi propria lucis, & caloris ratio ſpectetur, contra accidit: lux enim aerem, calor aquam ad ſuam rationem pertrahit, ſuaſque dotes illi imprimit. Nam aer luce perfuſus omnino repugnat tenebris; & aqua calefacta frigiditatem non patitur. Sic ergo in divina motione duplex hæc ratio diſtinguenda eſt: & *eſſe*; ſeu *entitas*, *& ratio*, ſeu participatio virtutis divinæ. Prima indifferentiam in voluntate relinquit, nedum in ſenſu diviſo, ſed etiam compoſito. Altera tollit quidem indifferentiam ſenſus compoſiti ad actus contrarios, quia voluntatem conjungit cum uno; relinquit tamen indifferentiam ſenſus diviſi: quia voluntas conjuncta cum uno actu, adhuc ratione ſuæ univerſalitatis retinet poteſtatem indifferentiæ ad alios. Quare voluntas in hoc differt ab aqua, dum calore afficitur. Voluntas enim, quia potentia univerſalis eſt triplici univerſalitate, judicii ſeu rationis, voluntatis, & objecti donata, etiam dum uni actui determinate conjungitur, ipſum cum ſumma indifferentia reſpicit, tamquam minimam ſui dominii, & extenſionis partem, quæ ad infinitos pene actus protendi poteſt.

LII. Quomodo ſit intelligenda communis diſtinctio *ſenſus diviſi, & compoſiti; potentiæ antecedentis, & conſequentis; ſimultatis potentiæ, & potentiæ ſimultatis; potentiæ futuritionis, & poſſibilitatis*, quibus utuntur Noſtrates ad explicandam voluntatis, etiam dum ſtat ſub motione Dei, indifferentiam, & libertatem; oſtendimus etiam ex doctrina D. Thomæ *Tract. de Volunt. Dei q.* 4. ſæpe citata *Dub.* 2. §. 2. *num.* 30. uſque *ad* 46. quod etiam a mala Adverſariorum intelligentia vindicavimus; adeo ut hic ea repetere, ſuperfluum eſſet. Quemadmodum etiam ſupervacaneum foret immorari in exponendo, quomodo Deus ad materiale peccati moveat, quin moveat ad formale; cum hoc jam conciliatum abunde ſit citata *quæſt.* 4. *Dub.* 2. §. 3. *a num.* 70. uſque ad finem Dubii. Quapropter exiſtimaveram huic Dubio finem imponere. Sed quia inter ſententiam Mediiſtarum, quam impugnavi, & Thomiſtarum, quam defendi, aliam invenio mediam non multis ab hinc annis excogitatam, quæ, licet falſo, nomine Thomiſtico ſe tueri gloriatur; ideo eam ſaltem recenſere pro mei Candidati inſtructione, operæ pretium duxi.

§. IV.

Thomaſſini, & Joſephi a Vita Opinio.

LIII. THomaſſinus Auctor Gallus, clarus hujus ævi Scriptor ob multa edita Opera, de divinæ gratiæ motione, & efficacia differens, triplicem ſententiam recenſet. Unam, quæ beneficio ſcientiæ mediæ, & præſcientiæ conſenſus futuri voluntatis creatæ, divinæ gratiæ efficaciam ſtatuit. Alteram, quæ divinæ motioni præviæ, & effectrici hanc efficaciam tribuit. Tertiam, quam ipſe amplectitur, quæ in aggregatione multorum auxiliorum, queis Deus tum foris, tum intus voluntatem hominis aggreditur, & veluti obſidet, divinæ gratiæ efficaciam reponit. Quæ ſententia a ſecunda diſſentit, non in vi efficaciæ, quam utraque infallibilem, & inſuperabilem recognoſcit; ſed in modo declarandi hanc efficaciam. Ubi enim ſecunda ſententia modum invictiſſimæ efficaciæ a phyſica præmotione repetit, quæ unius generis, & modi eſt motio; tertia Thomaſſini ſententia eamdem efficaciam derivat a congruitate, conſpiratione, multitudine, varietate; importunitate divinorum intus, ac foris auxiliorum; quorum ſi prima cadant inutilia, alia deinceps, & alia ſuggerantur, donec tandem fatigata voluntas ſaluti, ac bono ſuo conſentiat.

LIV. Obſervandum tamen eſt, Thomaſſinum his omnibus auxiliis non aliam, quam moralem agendi vim tribuere, minime vero phyſicam, quamvis certam, & invictiſſimam gratiæ eſſe vim exiſtimet. Impoſſibile enim putat, inter tot omnis generis motiones, quibus voluntas pulſatur, movetur, impellitur, non reperiri tandem aliquam, quæ voluntatem, aut non frangat reluctantem; aut qua voluntas ſe flecti, allicique non permittat. Cum experiamur, & mollem aquam repetitis ictibus lapidem durum exedere, eumque non vi, ſed ſæpe cadendo excavare. Varius eſt enim hominum genius; varii ſunt mores: alii amore demulcentur, alii coercentur metu; alii beneficiis devinciuntur; alii flagellis domantur.

LV. Verum hic Auctor, ſi non aliam vim, & efficaciam divinæ gratiæ auxiliis, quam moralem aſſerit; vix a Semipelagianis, & Pelagianis ſecernitur: hi enim omnes gratiam moraliter, vel allicientem præmio, vel pœnis deterrentem, maxime legem, agnoſcebant. Deinde dum putat Mediiſtarum ſententiam declinare, in eam incidit, dum efficaciam gratiæ in congruitate auxiliorum ſtatuere cogitur, quæ non in alio ſita eſt, quam ut juxta varios hominum affectus, inclinationes, & circumſtantias varios ſortiatur effectus. Rurſus ſcientiam mediam admittere tenetur, qua Deus dirigatur in conferendis illis potius auxiliis, quæ genio hominis, quem movet, & circumſtantiis, in quibus eum movet, congrua ſint ad eum flectendum. Tandem cum ex tota illa ſerie auxiliorum nullum ſit, quod ex ſua natura non ſit indifferens ad conſenſum obtinendum, & non ſolum diviſive, ſed & collective; ſequitur, non eſſe impoſſibilem caſum, ſaltem metaphyſice, quo detur homo, qui nec ſub tota ſerie illorum auxiliorum ſit conſenſurus: & quod proinde poſſibile, ſit, dari hominem, quem Deus non poſſit libera converſione ad ſe trahere; nec, ſi vellet, poſſet Diabolum modo convertere, & hoc ex ſuppoſitione Deo non libera. Quod inconveniens adverſus Mediiſtas protulimus *Tract. de Scient. cond. quæſt.* 6. *dub.* 7. §. 2. *nu.* 13. & *Tract. de Volunt. Dei qu.* 4. *dub.* 1. §. 5. *nu.* 27.

LVI. Verum Joſeph a Vita longe diverſam iniit viam. Is noſtræ Scholæ principiis primo imbutus, noſtrique inſtituti Profeſſor docet quidem primo: Motionem divinam eſſe per ſe efficacem, admittens in Deo decreta efficacia, per prædefininitiones voluntatis conſenſum antecedentes; unde nullus uſus ſcientiæ mediæ eſſe poſſit. Docet ſecundo. Deum phyſica, ac prævia motione movere cauſas ſecundas, earum operationes antevertere, & efficere: quibus cum aliis Div. Thomæ Diſcipulis conſentit. Sed in tertio, nempe in explicanda hujus motionis natura, & conditione a ceterorum choro exſiliit, alium modum ſe inveniſſe arbitratus.

LVII. Primo igitur exiſtimat, motum, quo Deus cauſas omnes ſecundas movet, etiam ut deſcendit a ſuperiori cauſa, eſſe indeterminatum, ac indifferentem; determinari vero a cauſis ſecundis: & quo magis, & longius producitur, & a cauſa prima recedit, eo determinatiorem, & minus indifferentem fieri. Cujus oppoſitum perpetuo oſtendimus, tum in *Tract. de Volunt. Dei* locis ſæpe citatis: tum hic; nempe, omnem determinationem cauſæ ſecundæ eſſe a motione cauſæ primæ.

LVIII. Secundo exiſtimat, motum primæ cauſæ non in omnibus omnino cauſis, quæ moventur, immediate recipi; nec Deum immediate omnes cauſas movere, ſed ſolum primam, mediante qua defertur motio ad ſecundam, ab hac ad tertiam; ut ſit quædam virtutis, ſeu motionis veluti lucis a prima ad ultimam diffuſio. Ut ita intelligatur, hanc omnium cauſarum ſeriem, quæ inter ſe ſemper connexæ ſunt, & quorum poſterior ſemper a priori dependet, eſſe ad inſtar horologii, aut alterius machinæ; in qua ſunt plures invicem conſertæ, & impactæ, una intra alteram, quarum una alteram movet etiam intermediæ, ſed ut a prima moventur: taliter tamen, ut ultimus effectus non ſolum a primo, ſed ab intermediis dependeat; ut ſi aliquod etiam ex intermediis ſiſteretur, omnino nihil fieret. Ita exiſtimat, quod cum omnia a Deo moveri neceſſe ſit, ipſaque etiam plantæ floritio in Deum auctorem referatur; non ita tamen intelligendum ſit, ut Deus immediate moveat plantam, ac ipſe divinus motus immediate in planta recipiatur: ſed ut in tam longa ſerie cauſarum, quæ inter ſeſe ordinantur, Deus moveat Intelligentiam, Intelligentia moveat Cælum, Cælum moveat alias cauſas inferiores, & iſtæ denique moveant plantam. Unde motus in planta receptus, & plantam vegetans, veluti gravidus in ſe ſe vim habeat omnium ſuperiorum cauſarum, & in vi earum germen producat; adeo ut ſi non ſolum prima, ſed aliqua ex intermediis cauſa ceſſaret, puta ſi Intelligentia non moveret Cælum, nec Cælum influeret, nulla eſſet plantæ floritio. Si vero de cauſis liberis ſermo ſit: has dicit moveri immediate a ratione, quæ eſt proprium, & proximum voluntatis movens.

LIX. Tertio. Cum juxta ipſum motus, ut a Deo, ſit indeterminatus, & indifferens, & ſolum determinetur a cauſis creatis pro varia earum diſpoſitione; inde putat, quod ſi aliqua ex cauſis creatis deficiat, reipſa motus ipſe deficiat. Cum enim ignis infuſa aqua impeditur, ne comburat lignum; deficit ſimul cum effectu combuſtionis recepta in igne motio impreſſa ab omnibus cauſis ſuperioribus, etiam a Deo. Reprehendens propterea alios D. Thomæ diſcipulos, volentes, effectum eſſe defectibilem, & motionem indefectibilem, & infallibilem.

LX. Quarto tandem. Ut explicet, unde oriatur infallibilitas providentiæ divinæ, ſeu ordo infallibilis divinæ voluntatis ad effectum; dicit, hoc oriri, non ex eo, quod a Deo ſit in cauſis creatis motus aliquis indefectibilis impreſſus: ſed ex eo, quod providentia, & voluntas divina ita cauſas omnes ordinet, ac diſponat, ut effectus, quem voluerit, infallibiliter ſequatur. Eſt enim (inquit ille) in ipſa rerum natura conſtitutum, ut cauſa quælibet, etſi contingens, ac defectibilis (ſi tamen in omni ſua diſpoſitione relicta ſit, nec ab alia cauſa impediatur) infallibiliter effectum producat: ne vero impediatur, munus eſt providentiæ divinæ, quæ cæteras cauſas ita diſponit, ita in ordine collocat, ut una alteram non impediat, ſed juvet; aut ſi ipſa nihil agat, cauſam agentem velu-

velu-

veluti ſpectet: & ita impedimenta omnia arceat, ut cauſa, cujus effectus expectatur, imperturbata agat. Quod ſi divinæ providentiæ aliud conſilium fuiſſet, aliter cauſas diſpoſuiſſet. Hoc modo putat Joſeph a Vita, infallibiliter effectum produci poſſe, etſi cauſæ nec indefectibiles ſint, nec aliquid indefectibile eis imprimatur; ex ſola nempe diſpoſitione cauſarum ita a divina providentia ordinata, ut omnes ad eumdem effectum, quem ipſa intendit, producendum concurrant. Quod exemplo ſatis familiari ſe explicare putat. Providentia enim divina ad minima etiam extenditur, eo pene ſimili, ſed in infinitum perfectiori modo cauſas diſponendo, quo providentia humana ad peculiares effectus cauſas ordinat, & diſponit. Vir enim ſtudio deditus, ut ſervet inextinctum lampadis lumen, extrahit bombycem; decutit fungulos, infundit oleum, feneſtram claudit; atque ea cautela adhibita, omnibus ita recte diſpoſitis, certiſſime, inextinctum ſervatur lampadis lumen. Quis vero, inquit ideo inextinguibilem dixerit lampadem, quia aliquid indefectibile ei additum ſit? Igitur ex ſola cauſarum omnium diſpoſitione, quæ ſe ſe invicem juvant, aut non impediunt, infallibiliter effectus producitur. Ita ſententiam ſuam ſingularem integro Tomo expoſitam ſtabilire conatur Joſeph a Vita.

§. V.

Joſeph a Vita reprehenſus.

LXI. REprehenditur primo. Quod in re adeo gravi a communi ſenſu, nedum ſuæ Scholæ, ſed & aliorum reſilierit, ac ſi ſoli ipſi ſapere datum eſſet; quod temeritatis notam non effugit: maxime ad ſuam opinionem Sanct. Thomam, vel invitum, trahendo, ut oſtendam.

LXII. Secundo. Quia ponit, motionem divinam eſſe ex ſe indeterminatam, & a cauſis creatis accipere determinationem: cum potius e contra, ut vidimus, divinæ motionis immobilitas, & efficacia ſit radix, qua cauſæ creatæ infallibiliter agunt, ſecundum tamen exigentiam ſuæ naturæ; nempe, neceſſario, ſi cauſæ ſint neceſſariæ; & contingenter, ſeu libere, ſi cauſæ contingentes, ſeu liberæ ſint: & hanc eſſe perpetuam Div. Thomæ doctrinam, ad oculum demonſtravimus. Neque obſunt exempla, quibus utitur, nimirum: per vitrum viride determinatur radius ſolis, ut lumen viride emittat: determinatur eadem actio, & influentia Solis, ut liquefaciat ceram, & lutum induret: emiſſus e follibus flatus in organum pro varia fiſtularum capacitate varios ſonos edit: machina, qua fila ſerica præparantur, unico, & ſimplici motu volvitur; attamen ex eodem motu fuſa torquent fila, rhombi ea glomerant &c. —— Nam omnia exempla, quæ ex cauſis creatis ſumi poſſunt, & maxime corporeis, & intelligenda ſemper ſunt ſalva prærogativa cauſæ primæ, quæ non accipit, ſed facit determinationem in rebus: & cum ſit efficaciſſima, non ſolum facit, quæ vult, ſed eo modo, quo fieri vult; & quæ, ut docet D. Th. 1. *p. q.* 19. *art.* 8. a nullo impediri poteſt, ſicut impediri poteſt virtus Solis, & cujuſvis cauſæ creatæ in eo etiam ordine, in quo eſt prima.

LXIII. Minus ipſi favet exemplum, quod producit ex D. Th. in 3. *diſt.* 23. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 1. ubi habet: *In agentibus ordinatis fines agentium ſecundorum ordinantur ad finem agentis primi; ſicut totum Univerſum ordinatur ad bonum, quod eſt Deus, ut dicit Philoſophus in* 11. *Metaph. ſicut exercitus ad bonum ducis: & ideo actio primi agentis eſt & prior, & poſterior. Prior in movendo, quia actiones omnium ſecundorum agentium fundantur ſuper actionem primi agentis; quæ cum ſit una communiter omnes firmans, ſpecificatur ejus effectus in hoc, & in illo ſecundum exigentiam illius: ſicut uno præcepto Ducis præcipientis bellum, unus accipit gladium, alius parat equum, & ſic de aliis. Eſt autem poſterior in utendo aliorum actibus ad finem proprium; & ſic omnes actiones aliorum agentium modificantur per actionem primi agentis.*

LXIV. Minus, inquam, illi favet. Nam primo, quid ſublimius pro dignitate primæ cauſæ dici poteſt illis verbis: *Actiones omnium ſecundorum agentium fundantur ſuper actionem primi agentis; quæ cum ſit una communiter omnes firmans &c.?* Hoc quid eſt aliud, niſi quod ſuper divinæ motionis firmitate, & immobilitate, ceu ſuper fundamento, firmatur, ſtabilitur omnis firmitas, & infallibilitas actionis cauſæ ſecundæ? Quid eſt aliud, niſi, quod cauſæ ſecundæ, ſicut nihil eſſent, niſi divina actione ſuſtentarentur; ita nihil agerent, niſi divina motione ad agendum moverentur, & non ſolum prima, ſed omnes cauſæ immediatæ; ita ut tantum agant, quantum divina motione ad agendum excitantur, juxta Pauli dictum Act. 17. verſ. 28. *In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus?* Nec juvat, quod additur, *ſpecificatur ejus effectus in hoc, & in illo ſecundum exigentiam illius*; quaſi quod pro varia cauſarum diſpoſitione actio primæ cauſæ determinetur —— Nam hinc potius colligere debuiſſet Joſephus, divinam motionem, etſi unam in omnibus, ſic modificare, & temperare efficaciam ſuæ cauſalitatis; ut non eundem effectum in omnibus, ſed in unoquoque ſecundum ejus exigentiam, & ſpeciem producat. Quod demonſtrat exemplo Ducis, cujus præceptum, etſi unicum, movet milites ad diverſa paranda ſecundum uniuſcujuſque officium; quare præceptum Ducis non modificatur, ſed modificat, & determinat actiones ſingulorum. Unde D. Thomas concludit: *Et ſic omnes actiones aliorum agentium modificantur per actionem primi agentis.* Hinc

LXV. Tertio reprehenditur Joſephus, quod dicat, motum primæ cauſæ non in omnibus immediate imprimi. Nam quemadmodum præceptum Ducis, etſi unum, eſt tamen viva vox efficacia ſui imperii moraliter pertingens ad omnes, & quidem immediate, cui ea vis ineſt; ut applicet quemcumque ejus imperio ſubjectum ad actionem ſuo muneri propriam, peditem ad cingendum enſem, equitem ad parandum equum, tympanotribam ad ſumendum tympanum, vexilliferum ad erigendum vexillum, & ſic de cæteris: ita & in ordine naturali, & phyſico Deus Univerſi Rector, ac Dux, ſuppoſita omnium cauſarum, quas ipſe pro ſuo arbitrio conſtituit, varietate, quamlibet ad ſuum opus, ſuumque munus peragendum movet, & applicat; & quamvis objective moveatur ad unamquamque ſecundum exigentiam ſuæ naturæ applicandam; non enim glaciem ad calefaciendum applicat, neque ignem ad refrigerandum (quod tamen poſſet, ſi ſupra naturam agere vellet) omnes nihilominus immediate tangit, & ſua efficacia movet, ac modificat. Cum enim omnibus immediate adſit, nec aliter adſit, quam ſua operatione, ut ſuo loco diximus, ſequitur, quod in omnibus immediate operetur. Unde D. Thomas *q.* 3. *de Pot. art.* 7. fuſe oſtendit, Deum operari in omni operante, & eſſe cauſam actionis cujuslibet.

LXVI. Idipſum docuit S. Paulus 1. *Cor.* 12. *v.* 4. Ubi de gratiis a Deo Corinthiis collatis agens: *Diviſiones* (inquit) *gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Sed quo pacto hæc operatur? Forſitan, quia hæc divini Spiritus operatio indifferens eſt inſtar flatus cujuſdam emortui; & ſicut idem flatus in diverſos organi tubos, & fiſtulas immiſſus, pro cujuſque tubi diſpoſitione determinatur ad varios ſonos edendos; ita ea operatio divini Spiritus in fideles immiſſa pro cujuſque varia diſpoſitione, in altero donum ſapientiæ, in altero donum linguarum, in altero poteſtas miraculorum efficitur? Aliud ſentit Apoſtolus: *Alii quidem* (inquit v. 8.) *per Spiritum datur ſermo ſapientiæ. Alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum* (v. 9.) *Alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu* (v. 10.) *Alii operatio virtutum, alii prophetia . . . .* (v. 11.) *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult.* Operatur igitur divinus Spiritus, non ut ſinguli affecti ſunt, ſed *prout vult*. Tunc ſic. Atqui, teſte D. Paulo, idem ſentiendum eſt de divina motione in omnibus: *Idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Omnia* (inquit D. Thom. ibi lect. 1.) *Sicut prima cauſa creans omnes operationes. Ne tamen aliæ cauſæ videantur eſſe ſuperfluæ, ſubdit:* In omnibus; *quia in cauſis ſecundariis prima cauſa operatur.* Iſaiæ 26. *v.* 12. *Omnia opera noſtra operatus es nobis.* Ergo ſicut nullus dicit, quod Spiritus Sancti operatio in largiendis gratiis gratis datis indifferens ſit, & modificetur, ac determinetur ab his; quibus gratias confert: ita nec dicere poterit, divinam motionem, qua *operatur omnia in omnibus*, in cauſis, & a cauſis ſecundis modificari, & determinari; ſed potius Deum ſua divina motione cauſas creatas modificare, determinare, eas applicando *prout vult*.

LXVII. Reprehenditur tandem Joſeph a Vita, quod Providentiæ divinæ hoc ſolum tribuat, quod cauſas creatas ordinet, ac diſponat, ut nulla ſit impedimento, ſed omnes cooperentur ad effectum, quem ipſa ordinavit: nihil divinæ Providentiæ plus tribuendo, quam humanæ, nempe ſolam cauſarum diſpoſitionem, & præparationem, quibus effectus infallibiliter ponatur, abſque ullo immediato influxu, ſive in cauſas, ſive in effectum, ut exemplum, quod affert, ſatis oſtendit. Hoc autem eſt divinam Providentiam nimis extenuare, ac deprimere. Et ex eo procedit (inquit Div. Thomas 1. Perihermen. lib. 14.) *Quod cognitio divini intellectus, & operatio divinæ voluntatis penſatur ad modum eorum, quæ in nobis ſunt: cum tamen multo differenter ſe habeant.* In hoc autem peccaſſe Joſephum a Vita, ſatis aperte demonſtrant, quæ ex humanis continuo profert exempla. Cum enim in humanis, & creatis videat concurſum cauſæ ſuperioris indifferentem eſſe, & ſucceſſive per cauſas inferiores determinari, & ab iſtis neceſſitatem, aut contingentiam, & ſpeciem effectus deſumi; idem de Providentia, & cauſalitate divina exiſtimavit: cum tamen oppoſitum, inquit D. Th. citatus, exiſtimandum ſit. *Nam voluntas divina eſt intelligenda extra ordinem entium exiſtens, velut cauſa quædam profundens totum ens, & omnes ejus differentias. Sunt autem differentiæ entis poſſibile* (ſeu contingens) *& neceſſarium: & ideo ex ipſa voluntate divina originantur neceſſitas, & contingentia in rebus, & diſtinctio utriuſque ſecundum rationem proximarum cauſarum. Ad effectus enim, quos voluit neceſſarios eſſe, diſpoſuit cauſas neceſſarias: ad effectus autem, quos voluit eſſe contingentes, ordinavit cauſas contingenter agentes, ideſt potentes deficere &c.* Et 6. *Metaph. lect.* 3. ait: *Sic ergo patet, quod cum de divina Providentia loquimur, non eſt dicendum ſolum, hoc eſt proviſum a Deo, ut ſit; ſed hoc eſt proviſum a Deo, ut contingenter ſit: vel ut neceſſario ſit . . . . Quod quidem eſt ſingulare in hac cauſa, ſcilicet in Divina Providentia. Reliquæ enim cauſæ non conſtituunt legem neceſſitatis, vel contingentiæ, ſed conſtituta a ſuperiori cauſa utuntur. Unde cauſalitati cujuslibet alterius cauſæ ſubditur ſolum, quod ejus effectus ſit. Quod autem ſit neceſſario, vel contingenter; dependet ex cauſa altiori, quæ eſt cauſa entis in quantum eſt ens, a qua ordo neceſſitatis, & contingentiæ in rebus provenit.* Cum igitur Joſephus a Vita ita ſtatuat Providentiam in Deo, ut eam faciat determinari quoad ſpeciem, & exiſtentiam, ſeu determinationem effectus a cauſis proximis creatis, quaſi utentem diſpoſitione, & legibus earum; Providentiam Dei evacuat, & de divina facit humanam. Merito igitur tamquam S. Th. Pſeudodiſcipulus ab omnibus rejicitur Joſeph a Vita;

ejuſque

ejúſque Doctrina a ſuperioribus noſtri Ordinis, tamquam D. Thomæ adverſa, eliminata eſt, & proſcripta.

QUÆSTIO III.

De Actuum Humanorum Moralitate.

CUm libertas ſit totius moralitatis in actibus humanis fundamentum; quæſtioni de voluntario libero, quam modo abſolvimus, jure ſuccedit quæſtio de moralitate actuum humanorum, ſeu de bonitate, & malitia eorumdem. De qua primo in genere, deinde in ſpecie ſermo erit cum D. Thoma 1. 2. q. 18.

DUBIUM I.

Quid ſit Moralitas Actuum Humanorum.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. COnveniunt omnes Theologi, moralitatem exigere conformitatem, vel difformitatem ad regulas morum; ita ut bonitas moralis ſit conformitas ad hujuſmodi regulas, vel ſaltem eam habeat annexam: malitia vero moralis ſit difformitas, vel habeat annexam difformitatem ad ipſas. Attamen diſſentiunt in hoc, quod aliqui exiſtimant, hanc conformitatem, vel difformitatem non eſſe conſtitutivum moralitatis, ſed quid conſequens, ſeu ſuperadditum; moralitatem vero conſiſtere in libertate eſſentialiter: & actus humanos conſtitui in genere moris ex eo præciſe, quod a libera voluntate cum perfectæ rationis deliberatione procedunt. Ex iis vero, qui moralitatem in conformitate, vel difformitate ad regulas morum conſtituunt, aliqui volunt, moralitatem eſſe denominationem extrinſecam a lege petitam; alii relationem ad regulam: quam relationem aliqui volunt eſſe relationem rationis tantum, alii realem: & ex his alii prædicamentalem, alii vero tranſcendentalem. Unde

II. Dico primo. Eſſe morale fundatur quidem in libertate, ſed non in ſola libertate conſiſtit. Prior pars probatur primo. Actio, quæ nullo modo eſt libera, non procedit ab homine ut agente morali: homo enim non dicitur moraliter agere, niſi cum ſubordinatur regulis morum, vel ab eis recedit; illis autem non ſubordinatur, nec ab eis recedit, niſi cum libere agit. Secundo, Actiones omnino naturales, & neceſſariæ non ſunt capaces differentiarum, quæ dividunt moralitatem, nempe bonitatis, vel malitiæ moralis; nec proprietatum eas conſequentium, puta meriti, vel demeriti; imputabilitatis ad præmium, vel ad pœnam; laudis, vel vituperii; ergo non ſunt capaces moralitatis: quia ratio communis non poteſt eſſe ſine aliqua ex ſuis differentiis; & quod non eſt capax alicujus ex differentiis genus dividentibus, vel proprietatibus eas conſequentibus, non eſt capax rationis genericæ: ſicut quod non eſt capax rationalitatis, vel irrationalitatis, non eſt capax animalitatis. Ant. probatur. Nam tales actiones non ſunt in hominis poteſtate, nec ſub ejus dominio: nullæ autem actiones hominis moraliter bonæ, vel malæ eſſe poſſunt imputabiles ad culpam, vel præmium, ad vituperium, vel laudem, niſi ſit in ejus poteſtate eas facere, vel non facere: alioquin dicendum eſſet, actiones puerorum ante uſum rationis, & amentium eſſe moraliter bonas, aut malas, dignas pœna, aut præmio.

III. Secunda pars prob. primo. Libertas pertinet ad ordinem phyſicum; hac enim rationalia ab irrationalibus phyſice diſtinguuntur: quod autem per ſe pertinet ad genus phyſicum, non poteſt ſe ſolo dare eſſe morale, cum genus naturæ, & moris plurimum differant. Secundo. Idem actus, ſtante eadem ſpecie, & numero libertate, poteſt eſſe in duabus ſpeciebus moralitatis non ſubordinatis; ut cum aliquis vult furari, ut fornicetur, aut vult occidere, ut furetur: ſi autem differentiæ, & ſpecies moralitatis eſſent differentiæ, & ſpecies libertatis, illis multiplicatis deberet iſta multiplicari. Tertio. Idem actus, manente eadem libertate, poteſt fieri de bono malus; ut in eo, qui, legitima exiſtente cauſa, pridie alicujus jejunii in ſero comedit carnes, & non cogitando (cum, poſſet, ac deberet cogitare) de jejunio diei ſequentis, illam comeſtionem continuat poſt mediam noctem; ergo libertas ſola non poteſt conſtituere genus moris commune ad bonum, & malum morale: cum ſpecies unius generis non poſſit in aliam tranſire, niſi facta mutatione circa illud genus.

IV. Dico ſecundo. Moralitas actus non conſiſtit in denominatione extrinſeca a lege, ſed in habitudine intrinſeca a lege, ſed in habitudine intrinſeca actus ad objectum rectæ rationi conformiter, vel difformiter comparatum; quæ habitudo non relatio rationis, ſed realis eſt tranſcendentalis, non prædicamentalis. Plures habet partes hoc Aſſertum. Et Prima quidem, quod moralitas non conſiſtat in denominatione extrinſeca a lege, probatur. Primo ex D. Thom. hac q. 18. art. 4. ad 2. ubi ait: quod *quamvis finis ſit cauſa extrinſeca; tamen debita proportio ad finem, & relatio in ipſum inhæret actioni*: ſi ergo inhæret actui, eſt intrinſeca illi, non extrinſeca. Secundo. Si moralitas eſt actui extrinſeca, debet aſſignari ſubjectum, in quo intrinſece ſit, & formaliter, & a quo extrinſece actus* denominetur bonus, vel malus: ſicut quia eſſe cognitum eſt denominatio extrinſeca objecto, debet aſſignari ſubjectum, in quo ſit intrinſece cognitio extrinſece denominans objectum cognitum: ſed nihil, præter actum humanum liberum, aſſignari poteſt, in quo ſit intrinſece moralitas: hic enim ſolus dicitur bonus, vel malus, dignus laude, & præmio, vel vituperio, & pœna; cætera autem ſolum dicuntur moralia per ordinem, & attributionem ad actum: lex, quia actum dirigit, objectum, quia actum terminat, finis, quia ad actum movet, circumſtantiæ, quia actum afficiunt; ergo ſoli actui moralitas intrinſece inhæret, in lege autem, objecto, fine &c. ſolum extrinſece. Sicut ſanitas formaliter, & intrinſece in ſolo animali, in urina vero, & medicina ſolum extrinſece; quia non dicuntur ſanæ, niſi per attributionem, & ordinem ad ſanitatem animalis.

V. Secunda etiam pars probatur. In actibus enim humanis genus ſumitur per habitudinem ad illum, a quo deſumitur genus habituum: ſed in habitibus moralibus genus moralitatis ſumitur per ordinem ad objectum rectæ rationi conſonum, ut in fortitudine, temperantia, & aliis; ergo ſimiliter genus moralitatis in actibus ſumendum eſt ex ordine ad objectum, ſecundum quod rectam rationem reſpicit.

VI. Quod confirmatur. Per hoc, quod aliquis actus eſt liber, ſi dicat habitudinem conformitatis cum regulis morum, ſtatim intelligitur moraliter bonus; & e contra, ſi dicat habitudinem difformitatis, ſtatim intelligitur moraliter malus. Regulæ enim morum ſunt, vel lex æterna, quæ in mente Dei exiſtit, vel lex temporalis exiſtens in mente hominum, importans vel legem naturalem, ſive dictamen rationis naturalis, vel legem poſitivam, ſive divinam, ſive humanam verbis expreſſis impoſitam, ſive ab ipſo Deo, ſive ab homine auctoritatem habente. Si ergo facimus aliquid, quod ſit conforme rationi humanæ, & divinæ, ſi aliunde opus illud ſit liberum, erit moraliter bonum: ſi vero ſit contra dictamen rationis, & contra id, quod Deus præſcribit, & aliunde etiam liberum, ſtatim dicimus, quod ſit moraliter malum. Unde moralitatem definire poſſumus, quod ſit actus conformis, vel difformis regulis morum; ſeu habitudo actionis humanæ liberæ ad objectum, prout eſt rectæ rationi conforme, vel difforme.

VII. Quare D. Thomas hac q. 18. art. 8. *Actus humanus* (inquit) *qui dicitur moralis, habet ſpeciem ab objecto relato ad principium actuum humanorum, quod eſt ratio*. Et q. 19. art. 1. ad 3. *Bonum per rationem repræſentatur voluntati, ut objectum; & in quantum cadit ſub ordine rationis, pertinet ad genus moris, & cauſat bonitatem moralem in actu voluntatis*. Objectum enim pertinet ad genus moris terminative, motive, & cauſaliter, in quantum eſt terminus actionum, & cauſa moralitatis earum: ac actiones quatenus ſiunt cum tendentia ad objectum rectæ rationis, vel conſonum, vel diſſonum, dicuntur morales formaliter; ergo &c.

VIII. Tertia pars, quod præfata habitudo ſit realis, non puræ rationis, probatur. Nam præfata habitudo revera, etiam nullo cogitante intellectu, convenit actionibus voluntatis, quæ ſecundum ſuam intrinſecam entitatem ſunt inclinationes, ſeu tendentiæ in objectum rectæ rationi conſonum, vel diſſonum: revera enim, & a parte rei actus humani liberi ſunt moraliter boni, aut mali, meritorii, aut demeritorii; ergo debent in ratione talis per aliquid reale conſtitui.

IX. Si dicas. Idem actus intrinſece invariatus fieri poteſt de non morali moralis: motus enim voluntatis primo primus præveniens uſum rationis neceſſarius eſt, & non moralis. Idem vero, ſi abſque ſui mutatione continuetur cum pleno uſu rationis, fit liber, & moralis; ergo eſſe morale nihil intrinſecum, ac reale addit actibus humanis.

X. Reſpondeo, quod dato, eumdem actum poſſe abſque ſui mutatione abſoluta fieri de non morali moralem; non tamen ſine mutatione reſpectiva. Nam hoc ipſo, quod ſit liber, & moralis, incipit tendere in objectum rectæ rationi conſentaneum, vel diſſentaneum, quo modo non tendebat antequam eſſet moralis. Addo: quod ſi hoc exemplum convinceret, moralitatem per aliquid non reale conſtitui; convinceret etiam libertatem non conſtitui per aliquid reale: cum idem actus ſicut abſque ſui entitativa mutatione tranſit de non morali in moralem, ita tranſeat de non libero in liberum —— Dixi: dato, eumdem actum tranſire de non morali in moralem. Nam verius judico, actum voluntatis prævenientem uſum rationis, & non moralem, eſſe diverſum ab actu ſubſequente rationis advertentiam, & libero, ac morali: quemadmodum in intellectu aliud eſt judicium regulans motum illum primo primum, a judicio regulante motum ſubſequentem liberum, ac moralem.

XI. Quarta pars, quod præfata habitudo conſtituens actum in eſſe morali ſit tranſcendentalis ratio, non prædicamentalis videtur ex dictis ſequi. Nam diximus, moralitatem eſſe puram tendentiam ad objectum rationi rectæ vel conſonum, vel diſſonum; quæ tendentia eſt ipſamet entitas actus, ut dependens, & reſpiciens objectum, ut ſubditum legi, tamquam cauſam, & menſuram ſui: ita ut, ſicut eſſe artificiale eſt eſſe menſurabile per regulas artis; ſic eſſe morale eſt eſſe menſurabile per regulas morum: ſed relatio, quæ nihil aliud eſt, quam entitas rei, ut ordinatur, & regula ſui, eſt tranſcendentalis, non prædicamentalis: hæc enim in noſtra Schola eſt aliquid ſuperadditum entitati rei, & reſpicit terminum, ut purum terminum, non formaliter ut cauſam, ſeu menſuram; ergo &c.

§. II.

Objectis reſpondetur.

XII. OBjicies primo contra ſecundam partem primi aſſerti S. Thom. hac *qu.* 18. & alibi ſæpe dicentem, actum voluntatis eſſe moralem, *in quantum eſt liber*, ſeu *quatenus procedit a ratione, ſeu cum deliberatione rationis.*

Reſpondeo, S. Thomam in præfatis locutionibus, & ſimilibus uſurpare ly *in quantum*, & ly *quatenus* in ſenſu cauſali, non formali: quia nimirum, ut ſupra diximus, libertas eſt radix, & fundamentum moralitatis. Sicut quia rationalitas eſt radix riſibilitatis, & albedo in pariete eſt fundamentum ſimilitudinis; dicimus, hominem in quantum rationalem eſſe riſibilem, & duos parietes quatenus albos eſſe ſimiles.

XIII. Objicies ſecundo, & replicabis contra eamdem partem. Poſita in actu libertate, & ſecluſo quocumque alio, actus ille eſt formaliter moralis; ergo &c. Ant. prob. Tum quia actus eo ipſo, quod eſt liber, eſt regulabilis per legem. Tum quia eſt imputabilis ad laudem, vel vituperium: imputabilitas autem eſt proprietas actus, non in genere naturæ, ſed moris. Quod vero eo ipſo, quod eſt liber, ſit imputabilis, probatur. Quia eo ipſo, quod eſt liber, procedit cum poteſtate, & dominio faciendi, vel non faciendi; ergo & imputari poteſt ad præmium, & laudem, vel ad pœnam, & vituperium.

Confirmatur. Nihil fingi poteſt, quod ſit genericum, & commune ſpeciebus moralibus boni, & mali; nec aliquid eſt immediate determinabile per bonum, & malum, niſi ratio liberi; ergo in hac ratio generica moralitatis formaliter locanda eſt.

XIV. Reſpondeo, neg. ant. Ad primam prob. conc. anteced. nego conſeq. Ex hoc enim, quod actus liber ſit regulabilis per legem, ſequitur quidem, quod ſit materia capax moralitatis, nempe ſubjectionis regulis morum; non vero, quod eis actu ſubjiciatur: in qua ſubjectione actuali conſiſtit formalis actus. Quemadmodum eſſe artificiale non conſiſtit in regulabilitate, ſeu capacitate, ut materia reguletur per principia artis; ſed in actuali ſubjectione principiis artis. Unde actus, quia liber, eſt quidem materia capax moralitatis, ſed non eſt formaliter in eſſe moris; niſi accedat habitudo ad objectum rectæ rationi conſonum, vel diſſonum.

XV. Ad ſecundam prob. ant. nego ant. Imputabilitas enim non ſequitur ad actum, prout a voluntate libere præciſe operante procedit, ſed prout a voluntate libere operante ſecundum regulas rationis, & legis, vel contra eas. Nam ubi non eſt lex, nec actus imputatur: quia *ubi non eſt lex, nec prævaricatio*. (Rom. 4. ver. 15.) Quare ad probationem ibi ſubjunctam diſtinguo: cum poteſtate, & dominio ſubjecto regulis rationis, & legis, nego. Non ſubjecto, concedo. Ut vero actus formaliter ſit in genere moris, debet procedere a voluntate cum poteſtate, & dominio ſubjecto regulis morum, nempe rationis, & legis: ideo autem poſita libertate ſequitur imputabilitas; quia ſupponitur tale liberum habere regulam, nec manere in pura ratione liberi.

XVI. Nec dicas, dari aliquos actus natura ſua, & dependenter ab omni lege, moraliter bonos, alios natura ſua moraliter malos. Amor enim Dei ſuper omnia, ſic natura ſua moraliter bonus eſt: e contra vero odium Dei natura ſua malum morale eſt; adeo ut etiamſi nulla lex daretur, illum præcipiens, iſtud prohibens, ille adhuc eſſet moraliter bonus, & iſtud moraliter malum: at non alia ratione, niſi quia a voluntate libere prodirent; ergo libertas ſe ſola &c.

XVII. Reſpondeo enim; Actus dici natura bonos, vel malos, quia exigunt legem eos præcipientem, vel prohibentem; quod eſt præciſive, vel antecedenter ad legem eſſe bonum, aut malum fundamentaliter, & exigitive, non formaliter: & hoc modo amor Dei eſt natura ſua bonus, & odium Dei natura ſua malum. Quare ſi, per impoſſibile, non eſſet lex unum præcipiens, alterum prohibens, nec formalem bonitatem, aut malitiam haberent, ſed fundamentalem ſolum.

XVIII. Ad confirmationem, nego ant. Ratio enim generica moralitatis eſt ordo actus ad objectum, ut cadit ſub regulis rationis: qui ſi ſit per conformitatem ad illas, conſtituit actum in ſpecie boni moralis; ſi vero per difformitatem ad eaſdem, conſtituit eum in ſpecie mali moralis. Actus autem, quatenus præciſe liber, conſideratur ut aliquid commune, non per modum generis, ſed per modum ſubjecti, & materiæ dirigibilis per regulas rationis: ſicut in factibilibus ferrum, vel lignum conſideratur ut materia dirigibilis per regulas artis.

XIX. Objicies tertio contra primam partem ſecundi Aſſerti. Primo. Moralitas actuum ſumitur ab extrinſeco, nempe ab objecto, a lege, a circumſtantiis, quæ ſæpe extrinſecæ ſunt, ut locus, tempus, conſanguinitas, affinitas; & lex poſitiva extrinſece ſe habet ad objectum præceptum, vel prohibitum; & omnia hæc extrinſece comparantur ad actum, & accidentaliter ſe habent ad ipſum; ergo moralitas non poterit eſſe intrinſeca actui.

Secundo. Voluntas non minus moralitatem habet in omiſſione, quam in commiſſione: ſed moralitas omiſſionis non poteſt conſiſtere in poſitiva tendentia; quia omiſſio actus non eſt; ergo in ſimplici extrinſeca denominatione voluntatis ſita erit.

Tertio. Moralitas in objectis non eſt aliquid intrinſecum; ergo neque in actibus.

Quarto. Eſſe morale in aliis rebus, puta valor monetarum, dominium rerum, pretium rerum venalium, eſt pura denominatio extrinſeca; ergo etiam eſſe morale in actibus.

XX. Reſpondeo ad primam, diſt. ant. Moralitas objective ſumpta, conc. ant. Formaliter, nego ant. Objectum enim ut legi ſubjectum, & circumſtantiis veſtitum, extrinſecum eſt actui humano: ſed hæc conſtituunt moralitatem objectivam, non formalem, quæ in intrinſeca tendentia actus ad tale objectum conſiſtit. Et quemadmodum in ſcientia duplex diſtinguimus ſpecificativum: unum extrinſecum, & hoc eſt objectum, quod reſpicit; alterum intrinſecum, & hoc eſt reſpicientia, ſeu tendentia ſcientiæ ad tale objectum: quæ eſt relatio quædam tranſcendentalis; eo quia reſpicit objectum ut cauſam, non ut purum terminum, & illud reſpicit, etſi non ſit exiſtens: ita dicimus de moralitate. Illa autem relatio dicitur accidentalis actui in eſſe naturæ conſiderato; non quia ſit entitas aliqua actui adveniens, ſed objective, & terminative, quatenus objecto accidit, quod ſit legi ſubjectum, & talibus circumſtantiis veſtitum. Et ſic tendentia illa, quæ ut reſpicit bonitatem naturalem objecti, conſtituit actum in eſſe naturæ; ut reſpicit illud relate ad regulas rationis, conſtituit illum in eſſe moris: & variato reſpectu ad eaſdem regulas in objecto, variatur ſpecies moralitatis in actu.

XXI. Ad ſecundam nego conſeq. Nam moralitas omiſſionis debet oppoſito modo explicari, ac moralitas commiſſionis: unde ſicut iſta explicetur per tendentiam actus ad objectum rectæ rationi conſonum; ita illa explicari debet per carentiam talis tendentiæ. —— Addo: quod cum, ex ſuperius dictis, non poſſit in exercitio, & moraliter dari omiſſio ſine aliquo actu, vel antecedente, vel concomitante; non invenitur omiſſio ſine aliqua tendentia poſitiva, quæ reddat eam ſaltem virtualiter voluntariam, & eodem modo moralem.

XXII. Ad tertium nego primo antecedens. Nam quemadmodum eſſe morale in actu voluntatis non eſt aliud, quam entitas actus, ut connotans objectum comparate ad legem; ita eſſe morale in objecto non eſt aliud, quam entitas objecti, ut connotans legem, cui ſubditur. —— Secundo. Dato antec. neg. conſeq. Neque enim inter actum, & objectum debet eſſe proportio in eſſe rei, ſed in ratione attingentis, & attingibilis; quæ bene ſalvatur, etſi eſſe morale in objecto ſit denominatio extrinſeca: eſſe autem morale formaliter, reale ſit, & intrinſecum.

XXIII. Ad quartam nego conſeq. Et diſparitas eſt inter eſſe morale monetæ, & ſimilium; & eſſe morale actuum humanorum: quod valor monetæ, & pretium rerum venalium directe, & immediate ab intellectu, & voluntate ſumitur. At moralitas actuum humanorum, licet voluntatem Legiſlatoris facientis legem ſupponat, ab illis tamen immediate non ſumitur; ſed ab ordine tranſcendentali, quem hujuſmodi actus dicunt ad objectum, ut regulis morum ſubjectum.

XXIV. Quapropter ſpecificativum formale, & immediatum moralitatis actuum humanorum non eſt lex, cui ſubjiciuntur; ſed objectum, in quod tendunt, ut tamen ſubditum legi, & ab ea propoſitum. Unde D. Thomas hoc art. 8. *Actus omnis* (inquit) *habet ſpeciem ab objecto: & actus humanus, qui dicitur moralis, habet ſpeciem ab objecto relato ad principium actuum humanorum, quod eſt ratio. Unde ſi objectum actus includat aliquid, quod conveniat ordini rationis, erit actus bonus ſecundum ſuam ſpeciem, ſicut dare eleemoſynam indigenti. Si autem includat aliquid, quod repugnet ordini rationis, erit malus actus ſecundum ſpeciem: ſicut furari, quod eſt tollere aliena*. Actus enim ſicut in eſſe phyſico ſpecificatur ab objecto, ſecundum bonitatem, & convenientiam naturalem conſiderato; ſic in eſſe moris ſpeciem ſumit ab illo, ut regulato per legem, & dictamen rationis, & prudentiæ.

DUBIUM II.

Quæ ſint Regulæ Moralitatis.

§. I.

Reſolvitur Dubium.

CUM hactenus dictum ſit, ordinem moralem ſumi ex conformitate, vel difformitate ad regulas morum; quænam ſint iſtæ regulæ, videndum eſt.

I. Dico. Duæ ſunt regulæ moralitatis. Una extrinſeca, & remota in mente divina exiſtens, nempe lex æterna: alia proxima, & intrinſeca, & in homine reſidens, ſecundum quod prædictam legem participat, eique ſubordinatur. Ita D. Thomas hac 1. 2. *qu.* 71. *art.* 6. his verbis: *Regula voluntatis humanæ eſt duplex. Una propinqua, & homogenea, ſcilicet, ipſa humana ratio: alia vero eſt prima regula, ſcilicet, lex æterna, quæ eſt quaſi ratio Dei*,

II. Quod lex æterna Dei ſit prima totius moralitatis regula, prob. Eſſe morale in actibus voluntatis debet primo deſumi per comparationem ad finem ultimum voluntatis; ex acceſſu ad quem, vel receſſu ſumitur rectitudo, vel obliquitas in actu: ſicut per comparationem ad finem particularem artificis ſumitur eſſe artificiale, ut docet D. Thom. 1. 2. *qu.* 21. *art.* 2. *ad* 2. atqui cum ſolus Deus ſit ultimus finis hominis; prima regula dirigens ipſum in talem finem, ſolum in mente divina poteſt exiſtere: ſicut quia primum principium creaturarum quoad eſſe eſt Deus, prima idea creaturarum in mente Dei exiſtit; ergo prima regula dirigens hominem in eſſe morali debet eſſe ratio in mente Dei exiſtens, quæ vocatur lex æterna, & ex commenſuratione cum ipſa deſumi debet moralitas in actu humano: qui, ſi ei conformetur, dicatur bonus moraliter, ſi ab ea declinet, dicatur moraliter malus.